

jori habitu poterit esse majoris meriti, ut plus mereretur unus dando decem, si daret ex majori charitate, quàm alius dando centum, si daret ex minori.

AD ID AVTEM Quod obijciebatur in contrarium, quod, propter quod unumquodq; tale & illud magis, verum est cum exclusione; ut si sciamus conclusiones propter principia, ipsa cognitio conclusionis secundum se, ut est aliquid propter cognitionem principiorum, non est tanta cognitio, quanta est cognitio principiorum. Sed ut unum includit aliud, non oportet; imò est è contrario; scire enim conclusiones, & principia est plus, quàm scire principia tantum; plus est enim scire propositiones geometricas, & perspectivās simul, quàm scire perspectivās fundatas super geometricis, dato, quod ignorentur illæ propositiones geometricæ. Sed scire propositiones geometricas & perspectivās similiter est plus scire, quam geometricas solum.

Papa pluribus servit, quàm alii.

QVOD VERO Obijciebatur de Papa, quod non debeat aliis obedire: Dicendum, quòd, licet Papa non sit sub obedientia aliorum; tamen pluribus servit, quam omnes alii: quia ipse servus est omnium. Sic enim dicebat *Apostolus 2. ad Corinthios 4. Nos autem servos vestros propter Iesum*. Ipsi enim Reges & Principes servi sunt civium: & propter servitium quod impendunt civibus: ut vult *Glossa super 13. cap. Epistolæ ad Romanos*, super illo verbo: *Ideo enim tributa præstatis; ministri enim sunt Dei in hoc ipsum servientes*. Et si ipsi Reges & Principes sint servi civium, Prælati spirituales magis se debent reputare suorum subditorum servos.

Hinc se servum servorum scribit.

Imò Papa qui omnibus præest quodammodo omnibus servit: propter quod ipse se scribit servorum servum: ab hoc ergò merito, quod est, servire, & aliis non excluditur Papa. Imò est in statu majoris meriti, si benè suum officium exerceat; cum pluribus, imò omnibus serviat.

Aliiter tamen servit subditis, quàm contra.

Sed non omne servitium est ejusdem rationis; subditi enim serviunt Prælati, eis obediendo: sed Prælati serviunt, subditis, pro eis vigilando, & pro eorum obedientia attentè se habendo.

QVÆSTIO II QVODLIBETI VII.

Vtrum nutritus in aliqua lege falsa, possit venire in cognitionem, quod lex illa falsa sit?

Questionem hanc decidi oportet ex tria illa questione, Quid homo sine gratia, vel per gratiam possit circa cognitionem veritatum tam naturalium, quàm supernaturalium? quam tractat *Ægidius in 2. d. 28. p. 1. quæst. 1. Arim. q. 1. & ibid. passim Sententiarum. D. Th. 1. 2. q. 109. & 2. 2. q. 6. & ibidem Summistæ. Alvares lib. 6. auxil. d. 48. & 49. Suar. De gratia. l. 1. & 2. cap. ubique primo. Multa habet Lanfienius in suo Augustino passim tom. 1. & 2.*

Ægidius verò hic docet ex triplici capite, affirmativam esse veram; potest enim in cognitionem falsitatis venire ita nutritus. Primum ex naturali ratione. 2. Ex operatione miraculorum. 3. Ex revelatione divina. Primum ostendit ex manifestè absurdo principio politico Platonis statuentis uxores debere esse communes. Secundum deducit ex hoc, quòd per miracula Pagani sint per Apostolos conversi. Tertium ostendit exemplo Cornelii Actor. 10.



ECVNDQ Quærebatur de homine, quantum ad legem, secundum quam debet vivere; Vtrum nutritus in aliqua lege falsa possit venire in cognitionem, quod

lex illa sit falsa? & arguebatur, quod non.

QVIA VEL HOC Effet per naturale rationem; vel per miracula, non per naturalem rationem: quia si diceret, illam legem esse falsam, quia continet aliqua, quæ cōtradicunt naturali rationi, simili modo enim, ut possemus dicere; legem euangelicam videri esse falsam; quia multa continet, quæ sensui & rationi videntur contradicere. Nec etiam dici potest, quod hoc possit scire per miracula; ut idè dicat legem suam esse falsam, & euangelicam esse bonam; quia audit euangelicam legem confirmatam esse miraculis: nam & legem

legem suam multoties fortè audivit esse confirmatam miraculis : & multi sunt Christiani , qui nunquam viderunt miracula : sed fortè audiverunt ; ita ut nutriti in falsa lege potuerint hoc audire de sua lege.

Præterea consuetudo est altera natura, ut dicitur *in lib. De Memoria* : & consuetudo ad falsum est magnum impedimentum ad cognitionem veritatis, ut habetur *ex 2. Metaphysica* : Qui ergo sunt assueti in lege aliqua falsa ; quia à pueritia nutriti sunt in illis falsitatibus , non videtur, quod possint se avertere.

IN CONTRARIUM EST, quod si nutritus in lege falsa non posset devenire in cognitionem , quod esset falsa, injustè puniretur à Deo ; quia puniretur pro eo , quod vitare non posset.

RESOLUTIO

Triplici medio potest homo nutritus in aliqua lege falsa devenire in cognitionem falsitatis illius ; scilicet, naturali ratione, per miracula, & per Divinam gratiam.

RESPONDEO Dicendum, quod nutritus in aliqua lege falsa, postquam ad annos discretionis venerit, si vult & si faciat totum quod in se est, potest venire in cognitionem, & deveniet, quod illa lex sit falsa : idque tripliciter ; ex naturali scilicet ratione, ex operatione miraculorum, & ex revelatione divina. Omnibus enim istis modis potest quis in talem cognitionem devenire : imò deveniet, saltem aliquo istorum modorum, si faciat, ut diximus, totum quod in se est.

Primum ostenditur.

Tam in speculationibus, quam in practicis dicto Platonis dicentis omnia, etiam uxores & filios debere esse communes.

PRIMO QV IDEM, potest hoc fieri per naturalem cognitionem. Nam *Psalm. 115. Omnis homo mendax* ; nullus est enim homo qui proprio ingenio derelictus non incidat in multas & varias falsitates, tam in speculabilibus quam in agibilibus. In speculabilibus quidem quotquot reperimus Philosophos pro ingenio volentes scrutari naturas rerum conspeximus in varios incidisse errores. Sic etiam & in agibilibus Plato quidem volens politicam ordinare, dicit, ut patet *in Politicis*, omnia debere esse communia : ita

quod cives non haberent uxores proprias ; sed quilibet iret ad quamlibet. Dicebat quidem politiam sic esse optimam, & benè dispositam, quod nullus civium haberet uxorem propriam, nullus haberet filios proprios : sed quilibet esset cujuslibet : ita quod quilibet civium reputaret quemlibet filium proprium suum : & ex hoc, ut dicebat, esset civitas optime disposita, & in magna pace, & in magno amore, quia omnes antiquiores cives diligerent minores, ut filios : & minores diligerent antiquiores, ut parentes.

Sed hunc ordinem politiæ, quem ^{Quem quilibet improbare potest luminæ naturæ.} tactus Philosophus statuit, quilibet aliquo modo qualiter ratione vicens improbare posset. Nam non est amorum filii, nisi sit ibi aliqua certitudo : propter quod filii meretricum a nullo tamquam proprii filii diliguntur : si enim sic esset, ut *Plato* statuit, nullus civium haberet de filiis certitudinem, nec etiam probabilem conjecturam.

Non oportet autem in hoc loco positionem hanc ulterius improbare, sed sufficit scire, quod magni Philosophi nisi ingenio proprio, & volentes ^{Magni Philosophi proprio ingenio nisi leges condiderunt.} per suam industriam leges dare civibus : & politiam ordinare in turpes inciderint errores. Et si hoc in magnis Philosophis reperimus, multò magis in alijs communiter hominibus necesse est reperiri. Nulla enim est lex data ab homine puro, vel per hominem ^{Hinc multa falsa & absurda continent.} purum ; nisi data sit per revelationem, vel per inspirationem divinam, quæ non contineat multa falsa, & multa reprobata & vitiosa.

Et si volumus descendere ad legem ^{Vt in lege Mahometi.} Mahometi, de qua proponebatur quaestio ibi, Peccatum contra naturam non reputatur ibi vitium : quilibet autem aliquo modo qualiter ratione vicens diceret legem illam esse iniquam, ubi bestialitas non reputatur vitium. Ex naturali ergo ratione posset se quis avertere à lege falsâ per hominem data : quia nulla talis lex est, quæ non contineat multa repugnantiâ rationi.

QVOD SI dicatur de lege Evangelii, quod multa contineat, quæ videntur repugnare rationi : dicemus, quod ^{Secus est de lege Evangelica.} lex Christiana multa proferat, quæ non possumus naturali ratione probare, nisi ^{Quæ naturali ratione non potest probari.}

hil tamen contineat, quod possit sufficienter per rationem naturalem improbari: quamvis ergo non possimus fidem probare, possumus tamen fidem defendere. Sed lex Mahometi, vel quaecumque alia lex data à puro homine sine divina inspiratione non potest sufficienter defendi; quin imò potest sufficienter per rationem improbari: imò potest naturali ratione convinci, quod falsa sit talis lex. Experti enim in Sacra pagina sciunt, quod quaecumque rationes fiunt, contra fidem dissolvantur, & ostendantur non concludere.

Et præ aliis
est miracu-
lis confir-
mata.

Quale est
tot homi-
num & tam
potentium
per tam
paucos
conversio
sine coa-
ctione.

VISO, quomodo falsitas legis datæ à puro homine sine divina inspiratione potest naturali ratione deprehendi, volumus ostendere, quod hoc habeat lex Christiana præ aliis, quod probetur esse miraculis confirmata: est enim maximum miraculum, quod nullus negare possit, quod videamus tantam multitudinem conversam à talem fidem, & tot sapientes per personas paucas, & simplices, ut per quosdam piscatores: illi ergo sic convertentes mundum vel fecerunt miracula, vel non: quod si fecerunt, ergo fides nostra miraculis confirmata est: quod si miracula non fecerunt, hoc fuit magnum miraculum, & sine operatione divina esse non potuit, quod simplices homines sine aliqua operatione miraculorum possent tantam multitudinem, & tot sapientes convertere: hoc est ergo, quod dicit *Augustinus* 22. *De Civitate Dei* cap. 5. *Ineruditos liberalibus disciplinis: non peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius sæculi paucissimos misit: atque, Ita ex omni genere tam multos, etiam ipsos Philosophos cepit.* Et ibidem *Augustinus* eodem lib. & cap. circa finem ait: *Quod si prædicantibus Apostolis miracula esse facta non credant, hoc unum nobis grande miraculum sufficit; quod etiam terrarum orbis sine huiusmodi miraculis credidit.* Roma quidem coluit Romulum quasi Deum: & aliæ nationes Romulum coluerunt, sed hoc fecerunt Romanorum terrore. Saraceni etiam, qui nunc colunt Mahometum, à principio quidem timore ducti sunt, ut susciperent legem ejus.

Vbi gentes
ex timore
coluerunt
Romulum.

Coadunabat autem sibi ille Mahometus quosdam iniquos homines bellicosos, & vi gentes cogeant, ut susciperent legem ejus. Sed lex nostra sine coactione est: quia per simplices homines sic diffusa & dilatata est.

Sicut Saraceni Mahometum.

Quid si dicas sine miraculis hoc fuisse; negando miracula, concedis miracula: quia hoc fuit magnum miraculum, quod sine astutia, quod per simplices homines, quod sine violentia, per paucos & pauperes, & sine miraculorum signis fuisset orbis terræ conversus.

Ergo naturali ratione & miraculorum operatione confirmatur lex nostra: quia nihil continet quod possit naturaliter ratione sufficienter improbari: & est miraculosè recepta. Aliarum autem legum, si leges dici debeant, quæ non sunt per divinam inspirationem habitæ, utroque modo potest falsitas deprehendi: & quia possunt naturali ratione sufficienter improbari: & quia eas à principio terrore non miraculis gentes receperunt.

HIS AVTEM prælibatis, volumus tradere viam tertiam, qua pateat, quomodo possit talis falsitas deprehendi: omnino enim piè debemus credere, quod aliquis nutritus in falsa lege, si det se bonis operibus, ut eleemosynis faciendis, & aliis operibus piis, & faciat quod in se est, & deprecetur Deum, ut sibi ostendat salutis viam, & si lex bona sit, quam habet, dimittatur in ea: si mala est, eruatur ab ea, & ut Deus revelat ei quid agendum sit.

Faciendo,
quod in se,

Exemplum habemus de *Cornelio* Act. 10. quod Cornelius vir Religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper, quia talis existeret, & faciebat totum, quod in se erat, obtinuerit à Deo, ut revelaret sibi viam salutis. Vnde in eodem capitulo dicitur, quod *visu viderit Angelum Domini introeuntem se, & dicentem sibi orationes tuas, & eleemosyna tua ascenderunt in conspectu Dei: & nunc mitte viros in Ioppem, & inquire facias Simonem, qui vocatur Petrus: hic tibi dicit, quid te oporteat facere.*

Exemplum
Cornelii
Act. 10.

AD ARGUMENTVM autem in contrarium, dicendum: quod non sit simile

simile de lege Christiana, & de quacumque lege falsa: nec quantum ad rationem naturalem sit, nec quantum ad operationem miraculorum; ut per habita manifestum est.

QVOD AVTEM ulterius arguebatur, quod consuetudo sit altera natura, dici debet, quod argumentum arguat difficultatem, sed non impossibilitatem. Si enim ab assuetis avertere se sit difficile; non tamen est impossibile &c.

QVÆSTIO III.


QVODLIBETI VIII.

Vtrum homo per artem posset facere verum aurum? & datô, quod faceret, Vtrum liceret expendere tale aurum?

Quoad prius videri debent Chimici & in primis historiarum transmutationis metallicæ ab Ewaldo de Hogelant descriptæ, & defensio Alchimie transmutatorie posita ab Andrea Libavio, & Nicolao Guiberto, Videatur etiam Wolfgangus Dinkain De Universali Medicina cap. 4. Nicolaus Bernandus comment. in Enigmaticum quoddam Epitaph. Bojon. Bern. Penor. præfat. Apol. contra Gulbert. Ruland. in Progymn. chymicis q. 67. Cardanus De var. rerum, Geber, lib. 2. sum. pert. p. 3. cap. 31. Cornel. Agrippa De Van. scientiarum, & alii. De posteriori verò videri debent Auctores tractantes, An liceat rem carius vendere quam valeat? De quo vid. Wigg. de lure & lust tract. 5. cap. 5. d. 4. & plures ab ipsis citat. Item illi qui tractant, An venditor emptori debeat indicare vitium rei venditæ? de quo vide ead. dem, illum d. 11. hunc d. 6. & eos qui ab ipsis citantur, Item illi qui tractant ad quid teneatur falsificans moneta. cam. de quo vide Binsfeld. Ench. p. 3. de 7. præc. §. 5.

Ægidius verò hic ostendit quomodo naturalia quo perfectiora magis determinent sibi principia suæ productionis: imò etiam certum locum in suæ generationi proprium: inter quæ ponit vinum, & metalla: unde deducit non posse fieri, nisi in venis terræ. Inde ostendit quomodo secundum quid possit altero, a quo in perfectione simpliciter separatur, esse perfectius & tale quid ait esse metallum respectu quorundam animalium imperfectiorum: & inde concludit negativè: quamvis interim admittat, quod Alchymistæ possint mutare accidentia, & facere commixtiones metallorum, & ita conficere electrum: vel commixta separare, & ita ex electo aurum extrahere. Quoad secundam

questionem respondet negativè, ob periculum lésionis humani corporis, cui subinde pro medicina applicatur aurum.



ERTIO quærebatur de homine per comparisonem ad suam artem: Vtrum homo per artem posset facere verum aurum? & dato, quod faceret aurum: Vtrum liceret expendere tale aurum?

ET ARGVEBATVR, quod posset per artem fieri verum aurum: quia potest per artem fieri vitrum: & electrum pari ratione: Ergò aurum.

Primò quod potest in formam nobiliorem, potest in ignobiliorem: sed per artem potest induci forma sensitiva; quia magi Pharaonis fecerunt vivos serpentes: sed forma sensitiva est nobilior, quam forma auri. Ergò &c.

IN CONTRARIUM EST, quia; ut dicitur in quodam comment. super Metheoris, quod dicitur esse Avicenna: sciunt artifices Alchimie species transmutari non posse: sed similia facere illis possunt.

Prima ars non est principium nisi artificialium, sed aurum non est quid artificiale, sed quid naturale. Ergò &c.

RESOLVTIO.

Cum Aurum determinet sibi certa principia, imò locum suæ generationis, non potest confici per artem solam verum aurum: & quamvis etiam fieret, non tamen hoc posset expendi.

RESPONDEO Dicendum, quod Quia per artem alchimie non possit fieri aurum verum, sed sophisticum. Nam naturalia procedunt ex determinatis principiis. & quanto perfectiora sunt aliqua naturalia, tanto magis determinant sibi propria principia; ut animalia perfecta determinant sibi principium activum: & etiam principium materiale, & locum suæ generationis: ut equus determinat sibi principium productivum & activum, quia naturaliter non fit equus nisi ab equo: T 2 determini-

Secus im-
perfectiora; determinat etiam sibi principium materiale; quia non fit equus, nisi ex menstruo equæ: determinat etiam sibi locum generationis; videlicet matricem equæ; extra matricem enim equæ nunquam naturaliter fiet equus.

Vt quæ ex
putrefactio-
ne, ut apes
ex carnibus
bovinis. Alia autem quæ non sunt ita perfecta non determinant sibi tot principia; ut animalia, quæ nascuntur ex putrefactione, non determinant sibi semper locum generationis: sed fortè determinant sibi materiam putrescibilem; ut apes gignuntur ex carnibus bovinis, vespæ ex carnibus equinis: musci-liones ex vino corrupto: ut recitat *Commentator Super 12. Metaphysicæ.*

Alia verò
ex genere
perfectiora,
ut vinum,
ignis deter-
minant sibi
determina-
tum locum. Aliqua autem nata ex putrefactione determinant sibi materiā, aliqua autem determinat sibi locum: ut vinum, quod ventrem vitis sibi determinat; non enim fit vinum, nisi ex humore digesto in ventre vitis. Posset autem quis præter vitem facere potum similem vino, unde multi possent decipi: verumtamen vinum non fit nisi in ventre vitis: & hujusmodi locum generationis potissimè determinant sibi perfecta in genere: ut perfectiora in genere animalium determinant sibi matricem, ut proprium generationis locum: ignis etiam, qui est perfectior inter elementa, non habet esse purum, nisi in determinato loco, ut circa concavum lunæ.

Sic metalla
&, quem? Sic etiam credibile est quod metalla determinent sibi proprium locum generationis; ut ventrem terræ, vel venas terræ; extra enim ventrem terræ vel venas terræ non potest esse naturaliter generatio perfectorum metallorum, cuiusmodi sunt aurum & argentum.

Extra enim
potest quid
fieri iis si-
mile. Potest autem aliqua permutatio fieri in metallis, quantum ad colorem, & quantum ad aliqua accidentia: tamen quantum ad speciem, & quantum ad formas substantiales non possunt permutari metalla, nec fieri, nisi in proprio loco generationis: & hoc satis videtur innuere auctoritas allegata, quæ dicitur esse *Avicenna. Vnde idem Avicenna* ibi dicit, quod possint æs tingere colore quo volunt, donec sit multum simile auro: & possint abstergere immunditias plumbi; ita ut videatur argentum: sed semper erit plumbum. Quod ergò per alchimiā non possit fieri aurum verum, vel ar-

gentum; & possint nihilominus fieri per artem apes, vel serpentes, non est quod forma metalli sit nobilior, quam forma sensitiva: sed idè contingit quia talia metalla magis sibi locum generationis determinant, quam animalia ex putrefactione genita; talia enim animalia magis determinat sibi materiam, cui ubi conjunctum fuerit activum, inducitur ibi forma.

Et fortè non sufficeret sola putrefactio, ut ex carnibus bovinis fierent apes: sed requiritur ibi aliquod aliud artificium; ut forte tales carnes oportet ponere ad ventum, vel aliquo alio modo eas disponere, ut inde talia animalia generentur, valet autem ars ad conjungenda activa passivis.

SVNT AVTEM animata nobiliora, quam inanimata, & sensitiva nobiliora, quam vegetativa: attamen sensitiva imperfecta possunt fieri ex putrefactione, & non ita determinant sibi propria principia, vegetativa autem perfecta, licet sint imperfectiora simpliciter; secundum quid tamen sunt perfectiora sensitivis imperfectis: & quia sunt perfecta in genere suo, non ita possunt fieri ex putrefactione; sed fiunt ex primo semine.

Sic metalla perfecta habent determinatum modum suæ productionis, quia fiunt in ventre terræ, licet interim quædam animalia imperfecta non ita determinant sibi propriū generationis locum, non est enim inconueniens, quod aliquid simpliciter imperfectum, secundum quid sit perfectius alio; simpliciter enim sensitiva sunt nobiliora vegetativis; perfecta tamen vegetativa habent aliquam perfectionem (quia determinant sibi proprium semen, ex quo nunt) quam non habent animalia imperfecta ex putrefactione nata.

NISI FORTE aliquis dicat, sicut *Electrum* videtur *Commentator dicere in 12. Metaph.* quod putrefactio, ex qua generatur animal natū ex putrefactione, sit semen in animalibus sic generabilibus: non tamen talia animalia ex putrefactione nata ad hoc plenè deveniant, quod respondeat eis proprium semen: ita quod vegetiva perfecta in hoc sint perfectiora eis: sicut & metalla perfecta, licet sint inanimata, in hoc sunt perfectiora multis animatis:

Et cur mi-
nus, quam
animalia e
putrefact:

Metalla
etiam sibi
determi-
nant cer-
tum modu
productio
nis.

Sunt perfi-
ctiora in g
nere suo,
quam qua
dam vivi
tia.

Electrum
quid sit? &
quomodo
se habeat
ad metal-
lum purum

Sicut &
vitrum.

animatis: quia determinant proprium sibi generationis locum.

Quæ pos-
sunt fieri
per artem.

AD ARGVMENTA autem in contrarium, dicendum, quod cum dicitur, quod per artem possit fieri vitrum & electrum; ergo aurum: non sit simile: nam vitrum respectu metallorum se habet sicut animal ex putrefactione natum respectu perfectorum. Sicut ergo quavis tale animal possit fieri per artē, non sequitur quod alia animalia possint fieri per artem: sic etiam etsi vitrum possit fieri per artem, non sequitur, quod aurum, quod est metallum perfectum, possit per artem fieri.

Et quomodo?

Distinguemus enim, ut distinguit *Philos. 7. Metaph.* Quod aliqua sint à natura, aliqua ab arte, aliqua partim à natura, & partim ab arte; Sanitas enim partim est à natura, partim ab arte medicinæ; medicus enim coniungendo activa passivis, & dando infirmo calefacto sirupum infrigidivum, inducit ipsum ad temperamentum, & sanat eum. Ipsa ergo conjunctio activorum & passivorum est ab arte: sed actio activorum in passiva est à natura: propter quod ex tali actione potest induci naturalis forma. Artifex ergo, coniungendo debita activa debitis passivis, potest facere vitrum: sed non potest facere aurum, quod determinat sibi ventrem terræ.

Ad hoc quod dicebatur de electo, dici debet, quod electrum non sit metallum unum: sed dicatur esse compositum ex nobilioribus metallis, ex auro scilicet & argento; habet enim, ut quidam referunt, tres partes auri, & quartam partem argenti. Cum ergo venæ terræ, in quibus germinantur metalla, habeant ad invicem commixtionem, contingit quod aurum germinatum in terra non sit purum: sed aliquid teneat de argento, vel aliquo alio metallo.

Ars ergo non facit ex non auro aurum: sed purificat, & separat quod est ibi auri ab aliis metallis, separationem autem metallorum, & commixtionem potest facere ars, sed non ipsa metalla. Et quia etiam naturaliter ipsa metalla generantur commixta, quantum ad commixtionem, quod facit natura, potest facere & ars, ut si naturaliter generetur electrum, metallum sic commixtum, posset alchymista facere talem

commixtionem; videlicet trium partium auri, & unius argenti, & facere idem metallum commixtum. Ex hoc tamen non arguitur, quod possit alchymista in metalla, sed in commixtionem metallorum.

QVOD AVTEM arguebatur de forma sensitiva; quod scilicet magi Pharaonis fecerint serpentes, solutū est per jam dicta: quia, ut patuit, licet forma sensitiva sit simpliciter nobilior quam forma metalli: metalla tamen perfecta aliquam habent perfectionem, quam non habent animalia imperfecta: quia, ut patuit, metalla perfecta determinant sibi magis proprium locum generationis, quam animalia imperfecta.

Quomodo poterunt magi Pharaonis facere serpentes?

ARGVMENTA ad partem oppositam non concludunt: sed gratia conclusionis dimittantur.

QVOD AVTEM ulterius quærebatur, si fieret per alchimiam tale aurum, quod non possit probari falsum; Vtrumliceret ipsum expendere? dici debet, quod forte sit impossibile, non solum per alchimiam facere verum aurum, sed facere, quod non posset deprehendi: durum enim esset facere aurum per alchimiam, cuius falsitas non deprehenderetur per cinerium: datō tamen, quod fieret tale aurum, non deberet expendi, quia aurum & talia metalla aliquando ponuntur in medicinis, & in aliis deservientibus ad humanum corpus. Si ergo esset aurum alchymisticum, fortē nimis complexionem læderet humanam.

Resolvitur 2. quæst. negat. & ratio datur.

DISPUTATIO

SECVNDA.

De spectantibus ad Animam in generali.



OSTEA quærebatur de pertinentibus ad animam. Et circa hoc quærebatur dupliciter, generaliter & specialiter. Generaliter autem quærebatur duæ quæstiones: una de habitibus generaliter, non descendendo ad tales & tales habitus: & erat quæstio, Vtrum per unum habitum generetur habitus, & per alios

augmentetur? Alia quæstio erat de potentiis animæ generaliter, non descendendo ad has potentias vel ad illas: & erat quæstio, Vtrum anima sit suæ potentiae?

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI X.

Vtrum per unum actum generetur habitus, & per alium augmentetur?

De hac materia Augmentationis habituum videri possunt Ægidius & auctores alii citati quodlib. 1. & 2. quæst. 18. & 14.

Hic verò Ægidius primò ponit quorundam opinionem de generatione habitus, & augmentatione, quam tribus modis explicat, deinde ponit ex eorum sententia quatuor habituum status; initium, progressum, perfectionem, & excessum, quos in habitibus bonis vocat, perseverantiam, continentiam, temperantiam, & heroicam: in malis verò inpersever. incontinent. intemp. & bestialitatem. Deinde iis explicatis ostendit ex mente ipsorum, quo ordine tales gradus producantur per actus? & quomodo distinguantur, vel non? sed ostendit, præter quod hæc sint ut plurimum dubia, eam opinionem non esse veram: idque probat ex naturali inductione formarum. Vnde ad questionis resolutionem adducit quatuor modos, quibus se habere possint actus in ordine ad generationem habitus: & quomodo in his corporalibus contrarium agat in contrarium: Vtrum scilicet immediate ab uno in aliud? & utrum expulsio unius fiat per inductionem alterius? & juxta resolutionem illam generalem respondet de augmentatione habitus moralis: ostenso primò, quomodo habeant potentie animæ difficultatem ad susceptionem habituum virtuosarum? eamque docet extriplici capite oriri posse; ex natura propria scilicet, ex assuetudine non vitio, ex assuetudine vitio. Et tandem dicit per aliquos actus primò tolli difficultatem, deinde per aliquem actum in

virtute præcedentium induci dispositionem, quæ per actus sequentes roborata fiat habitus.



AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod habitus generetur ex uno actu, & ex alijs augmentetur: quia unus actus inducit totam essentiam habitus, vel non: si verò inducat, habetur intentum, si autem non inducat, constat quod aliquid faciat primus actus: alius ergò actus superveniens, vel auget illud, quod factum est: vel facit aliud. Si illud auget, habetur intentum: si autem facit aliud, non facit aliud specie; cum faciat actus illi similes: facit ergo aliud numero: duo ergò diversa numero erunt in eodem, quod est inconueniens.

IN CONTRARIVM EST, quia injustus potest facere actum justitiæ: ille ergo actus justitiæ, qui fit ab injusto manente injusto, si adgeneraret justitiam, esset unum & idem similiter justum & injustum: haberet enim in se similiter justitiam & injustitiam: non ergo unus actus adgenerat habitum.

RESOLVTIO.

Per primos actus removetur difficultas à potentiis animæ, quæ remotâ, per alios producit qualitas, quæ est dispositio, quæ tandem per subsequentes excrescit in habitum, à qua non distinguitur, nisi ut puer & vir, imperfectum à perfectò, tempus præsens à diuturno, quod componit.

RESPONDEO Dicendum, quod aliqui sint hujusmodi opinionis, quod primus actus inducat totam essentiam habitus, & alii actus sequentes augmentent aut perficiant quod factum est. Dicunt autem quod illud inductum per proprium actum sit tota essentia habitus; non tamen mereatur dici habitus: quia non est difficile mobilis: ad hujus confirmationem dicunt, quod oporteat alterum trium esse verum; quod vel numquam ex similibus actibus quantumcumque multiplicatis adge-

Opinio diverforum trimembris.

adgeneretur habitus: vel quod unus solus actus perfectum generet habitum: vel quod primus actus aliquid generet, & reliqui actus apponendo augmentent. Primum, ut dicunt, est falsum, quod numquam ex similibus actibus quantumcumque multiplicatis generetur habitus. Secundum autem (ut aiunt) est impossibile, quod unus actus, scilicet, perfectum possit generare habitum. Relinquetur ergo via tertia, quod primus actus aliquid generet, & alii actus per appositionem augmentent & perficiant, quod generatum est.

Sed si primus actus aliquid generet de ipso habitu, vel de ipsa essentia habitus (cū huiusmodi habitus sit essentia simplex) si aliquid idem generet, oportet quod totum generet, cum huiusmodi essentia simplex partem & partem non habeat. Est enim hoc commune omnibus accidentibus: quod quælibet accidentalis forma sit simplici essentiâ consistens, quod in qualitatibus non habet dubium: potest tamen in qualitatibus esse diversitas, quantum ad esse; ut quia una qualitas habet perfectius esse, quam alia, & est intensior quam alia. Quantum autem ad essentiam, quælibet qualitas est simplici essentiâ consistens: valeret autem ad hoc *auctoritas sex principiorum*, si esset authenticus *ille liber*: quod forma contingens, id est, contingenter adveniēns compositioni, id est rei compositæ, simplici essentiâ consistat. Forma enim accidentalis est illa, quæ fundatur in compositione, id est in re composita, & est illa forma, quæ contingit, id est, quæ contingenter advenit.

Secundum ergo hunc modum ponendi primus actus quantumcumque debilis, quia aliquid facit, inducit totam essentiam habitus: licet illa essentia inducta per primum actum generantem non mereatur dici habitus: quia per huiusmodi actum non est firmata & robodata.

Dicunt ergo isti, quod ipsorum habituum sint quatuor status, initium, progressus, perfectio & excessus; ut in bonitatibus est perseverantia, continentia, temperantia, & heroica. In malitiis vero sunt ii gradus, incontinentia, imperseverantia, intemperantia, & bestialitas.

Differt autem perseverantia à continentia; quia ad perseverantiam sufficit non cadere: perseverans equidem etiam magnis passionibus impugnatus non cadit: sed continens non solum non cadit: sed vincit, & plus est vincere, quam non cadere. Temperatus autem habet aliquid ultra continentem: nam etsi continens vincat; hoc est, cum dolore & angustia: temperatus autem etiam delectabiliter passiones sensibiles superat. Heroicus autem omnes excellit: nam est heroicus quasi dominativus vel dominus: cui non solum est delectabile, bene facere, & qui non solum absque tristitia, & dolore omnes sensibiles passiones superat, sed quasi non sentit eas: & est bonus supra humanum modum, sicut dicebat Priamus de Hectore; quod ita bonus esset, ut non videretur filius hominis mortalis.

Huic autem virtuti sic excellenti in malitiis respondet bestialitas. Illi enim sunt bestiales, qui sunt mali supra modum hominum, sicut ponit *Philosophus* exemplum de quadam muliere, quæ cum non potuisset gignere, omnes prægnantes retinebat, & rescindebat, & pueros comedebat. Quidam etiam homines circa Pontum crudis hominum carnibus vescebantur, & filios sibi in convivium præstabant; cum enim pater vellet aliquos convivare, & non haberet filium suum domi, ibat ad convicinium, ut sibi præstaret filium, propter convivium, spondens, quod quando ipse vellet alios convivare, quod ei filium suum ad convivium faciendum redderet: omnia enim hæc bestialitates sunt, & bestialitas est illa in malitiis, quæ respondet virtuti heroicæ in bonitatibus. Sic & quilibet alius gradus virtutis habet, quod sibi respondet ad malitiam; ut temperantia intemperantiam, continentia incontinentiam, perseverantia imperseverantiam.

DISTINCTIS ERGO his gradibus, dicendum est, quod, secundum sententiam prædictorum, primus actus bonus faciat initium in bonitatibus, & primus actus malus faciat initium in malitiis. Ex primo ergo actu generabitur perseverantia: sequentes autem actus augebunt, id factum est, ut ex perseverantia facient continentiam: rursus autem

Forumque explicatio & differentia.

Bestialitas incolarum Ponti.

Quatuor status habituum.

Tam malorum, quam bonorum.

Quomodo
status illi
inter se
comparen-
tur?

Examina-
tur.

Inductio
formæ in
naturalibus præ-
supponit
moveri,
& mensura-
tur tempore:

Cujus si-
mile vide-
tur in ag-
generatione habi-
tuum.

Vnde non
sunt unico
act.

autem actus sequentes augebunt adhuc quod factum est, & ex continentia facient temperantiam: ultimus actus ex temperantia faciet heroicam. Omnia autem hæc quatuor, secundum istos, videlicet perseverantia, continentia, temperantia, & heroica, non differunt secundum essentiam, sed solum secundum perfectum & imperfectum esse, primus ergo actus, secundum istorum positionem, aggenerat totam essentiam formæ: non tamen aggenerat habitum perfectum: quia habitus non solum dicit essentiam formæ: sed etiam dicit essentiam cum perfecto esse: habitus ergo aggeneratus ex multiplicatis actibus, secundum istos, per essentiam non differt ab eo, quod facit primus: sed solum differt penes perfectum & imperfectum esse. Sed hæc positio præter hoc quod multa dubia implicet (quia non videtur quod continentia possit temperantia fieri, ut multi ponunt, de quo quid sentiendum sit, non est præsentis speculationis) videtur non esse vera, quantum spectat ad quæstionem præsentem.

QVOD AVTEM sint 4. gradus in bonitatibus, & quatuor in malitiis, prout assignati sunt, verum est; quia hoc tradit *Philosophus* in 7. *Ethicorum*. Sed quod ex uno actu morali inducatur essentia formæ, vel qualitas aliqua, non videtur habere veritatem, sicut etiam videmus in naturalibus; quia non statim, cum agens appropinquat passo, inducit essentiam formæ; in naturalibus enim in inductione formæ est mutatum esse, quod præsupponit moveri: sed moveri, ut patet, semper mensuratur tempore: ideo omnis forma naturalis introducit præsupposito transmutationis tempore.

Et licet non sit omnino simile de actibus aggenerantibus habitum, & de agente naturali introducente formam: tamen quantum ad hoc est penitus simile: quia sicut agens naturale non statim, cum appropinquat passo, inducit formam, sic unus actus non statim inducit essentiam formæ habitus. Nam & *Philosophus* assimilat habitus, qui sunt in potentiis animæ, habilitatibus, quæ sunt in corporibus: ut, sicut ex frequenti cytharizatione habilitantur

manus, & simus cytharistæ; sic ex frequenti benè agere habilitentur potentiæ nostræ, & simus boni. Et quia similis ratio est quantum ad hoc in potentiis animæ, & in corporibus, sic ut non statim, cum agens approximat corpori; nec statim ex uno actu fit inductio formæ in corpore, sed successione temporis talis aggeneratur; sic etiam non ex uno actu, quantum ad potentiam animæ, aggenerantur essentia formæ habitus: sed ex multiplicatis actibus poterit generari.

IIS AVTEM omnibus prælibatis ingrediemur ad quæstionem, & dicemus, quod in generatione formæ actus quadrupliciter se habere possit, quia vel actus primus statim inducit habitum perfectum, vel primus actus aliquid inducit, & alii actus superaumentant, quod inductum est: vel tertio nunquam actus, quantumcumque frequentati aggenerant habitum. Velest dare quartum modum, quem non tetigit præfata positio, si subiectum habeat difficultatē aliquam circa susceptionem habitus; videlicet ut actus primi nihil inducant de esse formæ habitus, sed solum remittant difficultatem in subiecto quantum ad susceptionem habitus: & postea actus sequens in virtute omnium præcedentium actuum remissâ difficultate circa essentiam formæ, & habitus, inducit essentiam talis formæ: quæ essentia non meretur adhuc dici habitus, sed dispositio; quia nondum est difficile mobilis: sed sequentes actus fortificant illam formam inductam in subiecto, & faciunt de dispositione habitum: & de habitu perfectum habitum.

Falsum est ergo, quod actus quantumcumque multiplicati non inducant habitum: & falsum est etiam, quod actus primus necessario inducat essentiam habitus, vel aliquid de essentia; potest enim esse, quod actus primus, secundus, & tertius, non inducant essentiam habitus, nec aliquid de essentia: sed solum remittant difficultatem circa subiectum.

AD EVIDENTIAM ergo ejus, quod dicendum est, videamus, quomodo in iis corporalibus unum contrarium agat in aliud?

Dicemus enim, quod non fiat transmutatio.

Qui ad hanc
bitum qua-
tuor modis
habere se
potest:

Idque vel
remittentem
do difficultatem, vel
producentem
do initium
habitus
vel hunc
perficientem
lo;

Vt sit in
transitu
contrario
in contrarium.

mutatio, nisi ex contrariis in contraria: ipsa autem cōtraria habeant aliquam distantiam ad invicem, quæ distantia non tollatur in instanti, sed in tempore. Calidum enim appropinquans frigido non statim removet essentiam frigidi, sed remittit formam frigidi: & quando huiusmodi forma est ita remissa, & habet ita remissum esse, ut si ulterius remittatur, non possit remanere in suo subiecto; tunc est dispositio quæ dicitur necessitas: & tunc in illo instanti removetur frigidum cum illo remisso esse, & inducitur forma calidi cum remisso esse: & postea illud idem agens, quod primo remisit essentiam frigidi, & postea removet huiusmodi essentiam cum remisso esse, & inducit formam caliditatis in esse remisso, transmutat materiam, & facit formam caloris habere perfectum esse; ita quod prius fiat motus à magis frigido ad minus frigidum, & postea à frigido in calidum, & postea à minus calido in magis calidum.

Motus ergo à magis frigido in minus frigidum remittit formam frigiditatis in suo esse: motus autem à frigido in calidum tollit essentiam frigidi, & inducit essentiam calidi: Motus à calido in magis calidum augmentat esse calidi, & facit formam caliditatis intensam.

Est autem in his dictis duplex dubium.

Vnum, *Verum oporteat statim à frigido ire in calidum?* sed hoc non auget quæstionis difficultatem: nam si inter calidum & frigidum sit forma media, & non contingat iri à calido in frigidum, nisi per tepidum, quod dicit formam mediam differentem per essentiam à calido, & frigido; sicut rubrum dicit formam mediam differentem per essentiam ab albo, & nigro: Dicemus illud idem de frigido, respectu illius formæ mediæ, & de illa forma media, respectu calidi. Nam, secundum hunc modum ponendi, primum agens remittit frigidum: & quando erit ultimò remissum, tunc amovebit essentiam frigidi, & inducet essentiam mediam, id est, essentiam tepiditatis: & tunc augmentabit, & intender ultimam formam in calore, donec non possit ulterius stare tepiditas: quo facto cedit tepiditas, & succedet caliditas: caliditatem etiam inductam po-

terit magis, ac magis intendere agens secundum possibilitatem suæ virtutis.

Secundum autem dubium circa hoc contingit, *Vtrum agens aliquid expellat absque eo quod aliquid inducat?* Ad quod Dicemus, quod agens expellendo aliquid aliud inducat secundum rem, & aliud secundum dispositionem. Aliquando verò expellendo aliquid non inducit secundum rem, sed secundum dispositionem; aliquando tamen etiam expellit sine inductione ullius. Dicemus enim, quod sicut dum agens transmutat materiam, transmutando materiam inducit formam; ita quod sit hoc materiam transmutare, essentiam formæ inducere: sic ut aliquando agens transmutet materiam non inducendo novam essentiam: sed essentiam intendendo, vel remittendo in suo esse.

Agens autem appropinquatum passo semper agit: & passum semper patitur: & nisi sit aliquod impedimentum, semper transmutat materiam: sed non semper transmutat inducendo, vel remittendo esse. Sicut exemplum posuimus; non statim, cum calidum appropinquat frigido, inducit caliditatem in frigidum: sed plus disponit frigidum ad susceptionem huius essentiae.

Quod si quærat quid sit talis dispositio? Dicemus quod sit remissio in esse frigidi, quid ergo facit calidum appropinquatum frigido? disponit ipsum ad susceptionem caliditatis. Quomodo disponit? disponit remittendo formam frigidi in suo esse. Imaginabimur quidem quod calidum agens in frigidum non emittat calorem ad extra, sed transmutet materiam: & illud transmutare materiam nihil aliud sit quam facere calidum in potentia calidum in actu, & inducere in frigidum formam caloris: & sicut frigidum est in potentia, ut fiat calidum; ita intensè frigidum sit in potentia, ut fiat remisse frigidum, & è converso. Sicut ergo, cum ex frigido sit calidum, nihil emittitur ad extra: sed, per transmutationem agentis, quod est potentia calidum, fit actu calidum; ita, cum intensè frigidum sit remisse frigidum, nihil emittitur ad extra: sed per transmutationem agentis, in potentia remisse frigidum, fit actu.

Omne ergo transmutans, vel tollit

V

unam

Secundu-
dubium
circa hoc,
quod in
istis trans-
mutationi-
bus indu-
citur ali-
quid secun-
dum rem,
parum se-
cundum
dispositio-
nem.

Agens
equidem
appropin-
quatum
passum se-
mp agitur,
& passum
semper pa-
titur.

Quid sit
agere se-
cundum
dispositio-
nem: &
quid dis-
ponere?

Quid trans-
mutare? &
quid ejus
effectus,
tam in pro-
ductione,
quàm in-
tensione
qualitatis,
vel remis-
sione?

De quo
moveretur
x. dubium
circa cali-
dum & fri-
gidum.

In qua non
semper po-
nitur esse
contrariæ
qualitatis.

unam formam, & inducit aliam: vel formam remissam facit intensam: vel è converso. Cùm autem unam formam expellit, & aliam inducit, certum est, quod, expellendo, aliquid inducat: & inducendo, aliquid expellat, etiam secundum rem: sed, cùm formam intensam facit remissam, non propriè inducit secundum rem; sed solum secundum dispositionem. Cùm enim frigidum remittitur in suo esse, non propriè dicitur ibi existere esse calidi: quia esse calidi non est sine essentia calidi, nec potest in eadem materia simul esse esse frigidi, & calidi; nihil est enim esse frigidi, nisi quod dat essentiam frigiditatis: & nihil esse calidi, nisi quod dat esse caloris. Agens ergò remittendo esse frigidi, non inducit secundum rem esse calidi; quamdiu enim durat essentia frigiditatis, non inducitur ibi essentia caloris.

Alteratio
requirit
motum &
tempus,
qualitates
habent
gradus, &
latitudi-
nem.

SED DICES, quid est remittere esse frigidi? Dicemus, quod, nisi esset gradus in esse formæ accidentalis, numquam in alteratione esset motus, & numquam requireretur ibi tempus; sed statim appropinquante calido ipsi frigido, induceretur in frigido forma caloris: sed quia sunt ibi gradus in esse: & frigidum in materia, quantum ad esse, habet magnam latitudinem (quia potest habere esse remissum & intensum, & magis & minus remissum, & magis & minus intensum) appropinquante calido ipsi frigido, non statim inducit formam caliditatis: sed prius expellit gradum esse frigidi, & remittit frigidum in suo esse, & quando est ultimè remissum, inducit in eo caloris formam.

SI ERGO QVÆRAS, *Vtrum expellendo gradus ipsius esse, & remittendo frigidum in suo esse, inducat esse calidi?* Dicemus quod non secundum rem: sed solum secundum dispositionem: quantum enim magis remittitur frigidum in suo esse, tanto magis disponitur materia ad esse calidi: tamen quamdiu est ibi essentia frigiditatis nihil est ibi realiter de esse calidi: quia non est secundum rem & veritatem esse calidi sine essentia calidi: essentia autem calidi simul cum essentia frigidi esse non potest.

Quomodo
fit inten-
sio & re-
missio?

Sicut ergò cùm frigidum intenditur in suo esse, nulla essentia propter hoc abiicitur à materia: nec, per conse-

quens, aliquod esse; quia essentia, & esse se consequuntur: sed solum frigidum, quod habebat in materia esse imperfectum, fit sub esse perfectò (per transmutationem enim agentis, nullam formam novam ibi inducendo, facit agens de calido magis calidum, vel de frigido magis frigidum.) Sic cùm de magis frigido fit minus frigidum, remittitur forma frigiditatis in suo esse. Hoc est ergo transmutare materiam, nihil ab extra immittere, sed facere potètià tale actu tale. Cùm ergò remittitur frigidum in suo esse, tunc quidem quantum amovetur de esse frigidi, tantum acquiritur de esse calidi: sed hoc est secundum dispositionem solum: quia, quantum plus remittitur frigidum, tanto plus disponitur, ut fiat calidum. In naturalibus ergo non statim inducitur forma opposita: sed prius remittitur forma op-
posita.

Si ergo videre volumus, quomodo hoc se habeat in moralibus? & quomodo fiant habitus in potentiis animæ? Videndum est, Vtrum potentiæ animæ habeant aliquam difficultatem, vel aliquam repugnantiam ad susceptionem talium habituum? quod si nullam habeant, non erit inconveniens ponere, quod per unum actum inducatur essentia formæ alterius habitus, licet illa essentia formæ habitus non mereatur nomen habitus: quia per unum actum non potest sic formari, ut sit difficilè mobilis. Si enim materia, in quam debet induci forma calidi, nullam haberet repugnantiam ad calorem; statim, cùm appropinquaret calido, susceperet caloris formam. Sicut aer, cùm nullam repugnantiam habeat ad formam lucis, quia nullam habet formam, quæ contrarietur luci, idè in instanti fit lucidus.

Simile esset & de potentiis animæ, si nulla haberent repugnantiam, vel difficultatem ad susceptionem talium habituum: sed si ibi sit repugnantia, vel difficultas, tunc primus actus nihil inducet de essentia formæ habitus: sed aliquid remittet de illa difficultate, & sequens etiam aliquid: & quando erit ultimè remissa talis difficultas, tunc sequens actus in virtute omnium præcedentium inducet essentiam formæ habitus, vel inducet quandam qualitatem, quæ

Applicatur
moralibus.

Quia in a-
nima est
difficultas
ad receptio-
nem habi-
tuum, maxi-
mè virtu-
tis.

quæ erit idem essentialiter cum habitu. Non tamen merebitur dici habitus, sed dispositio, talis qualitas; quia nondum erit firmata, & roborata in subiecto. Sed postea sequentes actus perficient eam, & roborabunt ipsam in subiecto; & tunc illa qualitas, quæ prius inchoata erat dispositio, quia erat facile mobilis, postea roborata, & perfecta erit habitus, quia erit difficile mobilis.

Eaque triplex in potentijs sensitivis: & ex triplici principio.

Possumus autem assignare triplicem difficultatem in potentijs sensitivis respectu susceptionis habituum, & specialiter habituum, qui sunt virtutes. Vna sumitur ex natura propria. Alia ex assuetudine, quæ propriè non est vitium. Tertia ex assuetudine quæ est vitium.

I. A natura propria.

Ex natura propria habet appetitus sensitivus quandam difficultatem ad virtutes: quia virtus est habitus electivus immediate consistens, prout sapiens, five prout recta ratio judicabit: & quia sensibilitas ex natura sua habet pronitatem ad malum secundum sensum, ad quod inclinat vitium; ideò quandam habet difficultatem ad bonum secundum rationem, ad quod inclinat virtus: ideò dicitur *Genes. cap. 8. Quia sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad mala ab adolescentia sua.*

II. Ex consuetudine non vitio.

Secundò, appetitus sensitivus habet difficultatem ad tales habitus ex consuetudine, quæ non est vitium. Nam statim puer, cum nascitur, delectatur in dulcedine lactis: & ideò statim ab ipsis cunabulis assuescimus ad delectabilia sensuum: ab ista assuetudine, quæ propriè non est vitium, fit in nobis quædam difficultas ad susceptionem talium habituum, per quos retrahimur à delectabilibus.

III. Ex consuetudine vitio.

Tertiò, potest esse talis difficultas ex assuetudine, quæ est vitium; ut cum pervenimus ad annos discretionis, si assueti simus ad talia delectabilia, efficitur in nobis habitus vitiosus, per quem habemus difficultatem ad susceptionem habitus virtutis.

Etiã in appetitu intellectivo:

Idque propter connectionem, quam habet cum sensu: in anima,

Appetitus quidem sensitivus ex se habet difficultatem ad susceptionem habitus virtutis.

Appetitus autem intellectivus habet magis hujusmodi difficultatem ex annexo. Nam ij duo appetitus, scilicet, sen-

sitivus & intellectivus, sunt in eadem anima quasi duæ rotæ in uno stipite: licet interim non eodem modo fundentur in anima, ideò unus appetitus trahit alium, sicut rota rotam: & ideò etiam non est inconveniens, quod in acquisitione habituum unus ex alio contrahat difficultatem.

Vtrum autem sint aliqui habitus virtuosus ad quos appetitus intellectivus de se difficultatem habeat? non est præsentis speculationis: sufficiat autem ad præsens scire, quod uterque appetitus, velex se, velex annexo, velex consuetudine aliqua, semper ante susceptionem habituum habeat quandam difficultatem ad ipsos habitus. Et ipse etiam appetitus sensitivus non solum ad habitus virtuosos, sed etiam ad habitus vitiosos habet quandam difficultatē. Nam si hujusmodi sensus de se fit pronus ad hujusmodi delectationes sensibiles: tamen, quia est appetitus aptus, & natus obedire rationi, & sub rationis freno esse, ex eo quandam difficultatem possumus assignare in ipso ad susceptionem habituum vitiosorum: non tantam tamen, quantam ad susceptionem virtutum.

Qui etiam ad vitiosos habitus diffic. habet.

Et unde?

Non oportet ergo quòd primus actus generet habitum vel aliquid de habitu: sed sufficit quod remittat hujusmodi difficultatem; ut ex eo quod fecimus aliquem actum, non est in nobis tanta difficultas, quanta erat ad faciendum consimilem actum. Secundus autem actus plus de hujusmodi difficultate remittit. Et quando est hujusmodi difficultas, ut dicebamus, remissa ultimatè, tunc unus actus in virtute omnium præcedentium inducit in nobis quandam qualitatem, quæ prius est dispositio, & postea roborata & perfecta per actus sequentes fit habitus.

Quomodo expellatur, & tandem habitus generetur?

AD PLENIOREM autem omnium horum intellectum distinguemus triplicem dispositionem. Nam quædam est dispositio, quæ nec est habitus, nec fit habitus: quædam autem non est habitus, sed fit habitus: quædam autem est ipse habitus.

Assignantur tres diverse conceptiones dispositionis.

Remissio autem difficultatis, quæ est dispositio ad habitum, nec est habitus, nec fit habitus: qualitas autem introducta sub esse remisso non est habitus: sed fit habitus, & est idem essentialiter cum

habitu. Vnde & *Simplic. in Comment. super prædicamenta* vult; quod dispositio & habitus non differant, nec specie, nec numero: sed solum differant temporis diuturnitate; illud enim idem, quod imperfectum est dispositio, postea perfectum est habitus. Vnde ait *Simplic.* quod, *habitus & dispositiones non oportet intelligere, ut duas species distinctas specificis differentiis: sicut homo & bos distinguuntur: sed sicut homo genitus ad esse, ab eo, qui in perfecta ætate est, distinguitur.*

Ergo habitus & dispositio differunt; non tamen differunt specie: sed differunt sicut imperfectum, & perfectum, sicut puer, & vir. Nec etiam differunt numero. Nam & idem *Simplicius* dicit, quod, *neque numero ab invicem differunt sicut Sortes à Platone: sed tempore differunt, sicut tempus præsens ab alio diuturno, & magis mansivo.* Sic ergo accepta dispositio, prout est quædam remissa forma non est habitus, sed fit habitus.

Tertiò modo potest accipi dispositio ut sit idem, quod habitus: nam in eisdem prædicamentis dicitur, *Quod habitus quidem sint dispositiones, & habentes habitum aequaliter disponuntur secundum eos.* Patet ergo quomodo habitus generentur ex actibus.

Ex diversi
diversorum
actuum ef-
fectus circa
productio-
nem aut
perfectio-
nem habi-
tuum.

AD ARGVMENTVM autem in contrarium dicendum, quod habitus generetur ex actibus. Actus autem sequens aliquando agit hoc, quod factum est, aliquando facit aliud: nam actus sequentes qualitatem inductam, quæ essentialiter est idem, quod habitus, semper augmentant quod factum est; ut primus actus diminuit difficultatem, quam habemus ad habitum introducendum, & sequens augmentat huiusmodi diminutionem: quia plus diminuit: sic etiam & actus sequentes qualitatem inductam augmentant quod alius facit: nam post qualitatem inductam primus actus sequens facit huiusmodi qualitatem perfectiorem in subiecto; & alius sequens augmentat huiusmodi perfectionem, donec dispositio fiat habitus.

Actus etiam sequens aliquando augmentat, quod præcedens fecit: aliquando autem non propriè augmentat: sed facit aliud; ut, actus inducens essentiam formæ, sive huiusmodi totam qua-

litatem, licet, quod facit, faciat in virtute præcedentium actuum: non tamen propriè augmentat, quod illi fecerunt: sed quodammodo facit aliud: quia alii remiserunt difficultatem ad formam: istæ autem actus inducit formam. Non est ergo inconueniens quod inter duos actus non differentes specie unus faciat aliud, quam alius: dum tamen unum illorum ordinetur ad aliud: quia sic quodammodo est facere non aliud: quia unum propter aliud, utrobique videtur unum tantum. Et quia remissio difficultatis ad formam ordinatur ad introductionem formæ, sic facere aliud potest competere non solum diversis numero, ut diversis actibus: sed etiam eidem numero; idem enim calor, qui remittit frigidum, quodammodo inducit calidum.

QVÆSTIO II.

QVODLIBETI XI.

Vtrum anima sit idem cum suis potentiis?

De distinctione potentiarum animæ multum differit Ægidius in 2. d. 24. p. 1. variis quæst. & in 1. d. 3. & tractat Gregor Arim. ibid. Argentina. 1. d. 3. q. 2. a. 2. Alphonsus Tol. q. 1. a. 2. Gerard. q. 4. a. 3. Paul. Ven. de Ang. cap. 4. D. Thom. variis locis, & maximè 1. p. q. 77. a. 1. Cajet. & Thom. ibid. Scotus in 1. dist. 3. q. 1. Ricard. p. 2. q. 1. Hervæus q. 4. Maro ibid. cum Scotistis. Durand. q. 2. Occam in 2. d. 16. qq. 24. & 26. Gabriel ibid. cum nominalibus. Conimbr. 1. 2. de an. c. 3. quæst. 4.

Ægidius verò hic quatuor modis probat responsionem suam negativam.



SECUNDO quære batur de anima generaliter, quantum ad potentias; Vtrum sit idem anima cum suis potentiis? & arguebatur, quod sic. Nam forma substantialis ignis, ut dicebatur, inducit formam substantialem ignis in materia; nam agēs assimilat sibi passum: cum ergo ignis calefaciat & igniat, calefacere erit à calore, ignire, vel generare ignem, sive inducere formam substantialem in materia, erit à forma substantiali ignis: ergo

ergo forma substantialis ignis agit : aliqua ergò actio potest immediatè progredi à forma substantiali : quod non esset , nisi substantialis forma haberet rationem potentiæ : ipsa ergo essentia animæ poterit esse sua potentia , & immediatè ab ea potest progredi actio.

Præterea materia est sua potentia; ergo & anima nostra , quæ est quasi materia in genere intelligibilem , erit sua potentia.

Præterea hoc idem sentire Augustinus videtur.

IN CONTRARIUM EST, quia potentia dicit accidens : anima autem non , ergo &c.

RESOLVTIO.

Cum actiones animæ non sint quid permanens, nec sint idem cum ipsa anima, nec anima habeat virtutem in propriam substantiam, nec quidquam directè agat in seipsum, quamvis benè indirectè, anima non est idem, sed quid distinctum à suis potentiis.

RESPONDEO, Dicendum, quod anima realiter differat à suis potentiis : & , quod nulla actio possit immediatè progredi ab essentia animæ : sed quælibet actio progrediatur ab essentia animæ mediante potentiâ, quæ realiter differt ab ipsa essentia.

Hanc autem veritatem possumus quadruplici via declarare. Prima sumitur ex ordine accidentium ad substantiam. Secunda ex ordine actionis ad agens. Tertia ex ordine ipsorum agentium. Quarta ex ordine agentis ad patientis.

PRIMA VIA sic patet. Nam omnia accidentia fluunt à substantia ; quamvis secundum quemdam ordinem : unde oportet dare accidens aliquod , quod immediatè à substantia fluat , ita quod substantia immediatè sit principium aliquius accidentis , sed non cuiuslibet accidentis.

Imaginandum enim, quod substantia plus habeat de entitate, & de existentia quam accidentia; ideòque ipsa & sit vere

ens, & primo, & principaliter ens: accidentia autem sint entia, quia sunt entia, ut ex 7. *Metaph.* declarari potest. Et sicut substantia plus habet de entitate quam accidentia ; ita inter ipsa accidentia sunt quidam gradus : quia accidentia permanentia plus habent de entitate , quam successiva, vel quam non permanentia; non est ergo rationabile quod accidens successivum, vel accidens non permanens immediatè fluat à substantia : sed oportet, quod fluat mediante accidente permanente.

Intelligere interim & velle , & talia accidentia , quæ sunt operationes animæ , sunt accidentia non permanentia. Vtrum autem sint successiva, vel non? non est præsentis speculationis: sufficiat nobis scire, quod sint non permanentia, quod ergò à natura animæ immediatè fluat actio non permanens non est rationabile.

In his enim quæ a natura fluunt , oportet dare determinatum modum. A natura ergo perpetua & incorruptibili immediatè non fluat aliquid, quod non est permanens, & quod est corruptibile: ergò immediatè à natura animæ non fluat ipsum intelligere : sed immediatè fluat ipsa potentia quæ est incorruptibilis permanens, & mediante potentiâ fluat actio, quæ non est permanens. Et quicquid sit de actionibus transeuntibus in exteriorem materiam ; de his tamen, quæ permanent in agente, oportet loqui secundum naturam agentis ; ut non sit possibile , quod actio non permanens immediatè fluat à natura, & à substantia permanente.

DICENDVM ERGO, quod natura animæ sit substantia, & sit permanens : potentia autem non sit substantia, sed sit permanens : actio autem nec sit substantia, nec sit permanens. Potentia ergò aliquam convenientiam habet cum substantia; quia est permanens: actio aliquam convenientiam habet cum potentia ; quia non est substantia, sed accidens , quod competit etiam potentiæ : sed ipsa actio valde distat à natura ; quia nec est substantia, neque permanens, sicut est natura. Sed constat quia in his quæ sunt in ipso agente (de quibus oportet argumentari secundum naturam agentis) oporteat esse determinatum

Inter quæ tamen idè observandum.

Ut patet in permanentibus respectu successivorum.

Qualia sunt operationes animæ.

Quæ fluunt à permanentibus accidentibus animæ.

Et quare constitutus talis ordo.

Declaratur quadrupliciter.

1. Ex ordine accidentium ad substantiam.

Quæ plus habet de entitate & existentia, quam illa.

natum processum, sicut est determinata natura: & esse huiusmodi processum & fluxum quendam ordinem; in his enim, quæ sunt in eadem natura, ea, quæ multum differunt à natura, non fluunt à natura, nisi mediantibus his, quæ minus differunt.

Si Angeli intellectio, si fluat immediate à substantia, est permanente

Quia ergo actio est accidens non permanente, si sit in natura permanente, fluet mediante aliquo accidente permanente. Propter nimiam ergo differentiam, quam habet natura animæ ad suam actionem non potest esse immediatum principium actionis. Inde est, quod, si invenimus aliquam actionem non transeuntem in exteriorem materiam immediate procedere à natura, ponamus illam actionem permanentem, & perpetuam, sicut ipsam naturam; ut si intellectio Angeli, per quam intelligit seipsum, immediate derivetur à substantia Angeli, ita quod substantia præexistens præsens suo intellectui causet in eo intellectionem sui-ipsius; dicamus illam intellectionem est perpetuam; Angelus enim nunquam desinit seipsum intelligere.

Hoc autem quomodo habeat veritatem, Vtrum intelligere sit semper æquè plenum? vel qualiter? in quæstionibus nostris de Angelis diffusius diximus: ad præsens dictum esse sufficiat; quod, loquendo de actionibus non transeuntibus, actio, quæ est accidens non permanente immediate non possit fluere à natura, quæ est substantia permanens: sed fluat mediante aliquo accidente permanente: & illud accidens vocemus potentiam. Potentia ergo est permanens accides, propter quod differt à substantia, & ab actione: à substantia quidem ratione, qua accidens: ab operatione autem ratione, quâ permanens.

2. Declaratur ex ordine actionis ad agens,

Quæ est media inter agens & patientem.

SECUNDA VIA ad hoc idem sumitur ex ordine actionis ad agens: intelligitur quippè actio esse medium inter agens & patientem. Loquendo ergo de actione non transeunte, impossibile est quod actio, quam habet agens per seipsum ad seipsum sit realiter differens ab ipso agente. Si hinc substantia spiritualis absque potentia realiter differente intelligeret; tunc actio illa non esset realiter differens ab ipsa; ut si Angelus intelligat seipsum sic; ut illa intellectio de-

riveretur ab ejus substantia, & terminetur ad ejus substantiam, & efficiatur; per ejus substantiam, ut non fiat potentia mediâ; oportet, quod talis actio sit idem quod substantia.

Cum enim Angelus intelligit se, per actionem suam tendit in seipsum, ita quod actio illa intelligatur media inter ipsum Angelum, & seipsum: & tunc quia extrema sunt conjuncta: imò sunt idem; oportet mediam actionem idem esse; nam plus conveniunt extrema cum medio, quam inter se.

Vnde deduci posset, actionem illam esse idem cum agente:

ANGELVS ergo intelliget seipsum per actionem: si autem ponamus potentiam differentem à substantia; actionem, per quam Angelus se intelligit, dicemus esse differentem ab ejus substantia; quia recipitur in potentia, quæ est differens à substantia. Licet ergo per actionem, quâ intelligit se, tendat Angelus in seipsum, poterit huiusmodi actio esse differens ab Angelorum ratione potentia, per quam tendit in seipsum, quæ est differens ab ipso. Sed si non secundum potentiam, sed secundum substantiam in seipsum tenderet, oporteret, quod illud tendere substantiale esset; & consequenter intelligere esset ei essentiale: quod nullus diceret.

Cum plus media convenient cum extremis, quam extrema inter se:

Secus si procedant mediante potentia.

TERTIA VIA ad hoc idem sumitur ex ordine agentium. Nam aliqua agentia habent actionem in accidentia, quæ immediate fundantur in substantia, & talia agentia de necessitate habent potentiam super ipsam substantiam, & possunt corrumpere ipsam substantiam. Nam si agens habeat potentiam super accidentia, quæ immediate fundantur in substantia, oportet quod habeat potentiam supra omnia accidentia substantia: quia, quod potest in accidentia quæ immediate fundantur in substantia, multo magis potest in ea quæ fundantur mediate. Quod autem, si tale agens daretur, haberet potentiam super ipsam substantiam, probatur, nam substantia creata non potest esse nuda absq; omnibus accidentibus: idèò videmus in substantiis generabilibus & corruptibilibus, quod si exspolientur à propriis accidentibus, quod corrumpatur ipsarum substantia.

3. Ex ordine agentium inter se.

Quedam enim habent virtutem in immediatis accidentibus substantia,

Qualia habent & in substantiam:

DICEMVS ERGO, quod omnis substantia incorruptibilis creata habeat aliquam

non

aliqua accidentia inseparabilia à substantia, & immediatè attingentia ipsam substantiam, in quā nullum agens creatum potest: super illis autem accidentibus immediatè adhærentibus ipsi substantiæ possunt fundari accidentia inducta per accidentia alia.

Quod si esset aliquod agens naturale, quod posset in accidentia, quæ immediatè fundantur in substantia, oportet substantiam illam esse corruptibilem: quia posset exspoliari accidentibus immediatè fundatis in se: & per consequens aliquod agens posset corrumpere talem substantiam. Si ergò anima non intelligeret per potentiam mediam, sed actio immediatè reciperetur in ipsa substantia, fantasma causans talem actionē in anima, qualitercumque causaret, attingeret accidens, quod immediatè fundatur in ipsa substantia: haberet etiam posse super ipsam substantiam: & ipsa substantia animæ corruptibilis esset,

4. Declaratur ex ordine agentis ad patiens.

QVARTA VIA ad hoc idem sumitur ex ordine agentis ad patiens. Nam omne quod movetur ab alio movetur. Vbi est enim actio realiter differens à passio, oportet quod sit per aliquid realiter differens à passio: Nam nihil seipsum actuat: nihil in seipso potest causare actionem realiter differentem: sed semper hoc erit per aliquid realiter differens. Ea autem, quæ causantur in ipsa substantia, immediate attribuimus agenti causanti substantiam ipsam. Agens enim, sive generans, quod dat genito naturam, dat ei ea, quæ immediatè fundantur in natura.

Generatum habet à generante quid in se immediatè fundatur;

Si ergò potentia non differret à substantia; cum Angelus intelligeret seipsum, tunc à substantia Angeli in substantiam Angeli causaretur intellectio: idem, v. g. etiam actuaret seipsum: idem ageret in seipsum directè, quod est inconveniens. Actio enim, quæ attribuitur ipsi agenti, debet esse ab agente in aliud: non autem in seipsum; quicquid enim à substantia in ipsa substantia fit producenti substantiam est attribuendum: oportet ergò, quod potentia in anima, vel in Angelo sit differens à substantia; aliter enim cogeremur concedere quod idem in seipsum directè ageret.

Dicimus autem directè, quia non est inconveniens, quod aliquid agat in seipsum indirectè: ut anima movet corpus, & movendo corpus movet seipsam indirectè, & per accidens: sic & substantia Angeli causat suam intellectionem in suo intellectu, agit ex consequenti in se: cum ipse intellectus sit in ipsa substantia. Attamen intelligere Angeli, quo intelligit se, loquendo de ipso intelligere, à quo nunquam recedit, attribui posset ipsi producenti naturam Angelicam. Nam agens quod producit naturam, ut Deus, qui producit naturam Angelicam, producit omnia ea, quæ inseparabiliter comitantur ipsam naturam: dictum est enim, quod ipsum grave vadat deorsum: sed tale ire habet à agente, ipse enim Angelus seipsum intelligit: sed intellectio illa, ut est naturalis attribuetur causanti naturam: ut est voluntaria, attribuetur Angelo voluntariè operanti. Sed non oportet in hoc multum hærerere: sufficiat autem ad præfens scire, quod nihil seipsum directè actuat.

Nihil enim in seipsum agit directè.

Benè tamen indirectè.

Angelus à quo habeat suum intelligere perpetuum?

Propter ergò has quatuor rationes, quarum prima probat, quæ in nulla natura sit idem potentia cum substantia, secunda & quarta probant specialiter de Angelo, tertia autem specialiter de anima, ponendum est quod in natura spiritali creata non sit idem potentia cum substantia.

Dans enim formam dat consequentia ad formam?

AD ARGUMENTVM autem in contrarium, cum dicitur, quod ignis calefaciat per calorem: sed igniat & generet substantialem formam per suam substantiam: Dici debet, quod nihil agat ignis, nisi per calorem, & nulla actio immediatè egrediatur à forma substantiali ignis: ut planè vult *Commentator in 7. Metaph.*

Forma substantialis immediatè extra se nihil producit;

Dicimus ergò, quod calor inducat utrumque, & calorem, & formam substantialem ignis: sed calorem inducat secundum se, cum calor sit ratio inducendi calorem secundum se, sed formam substantialem inducat in quantum est organum substantialis formæ.

Quomodo calor formam substantialem, & calorem attingat? etiam si ignis non existat.

Et quod non oporteat sic dicere, quod forma substantialis inducat substantialem formam, & calor calorem, patet; quia sic essent hic distinctæ istæ actiones, & sic distinctæ

etæ

et referrentur ipsis agentibus; non generaretur ignis nisi ab igne: ab eo autem cui non inesset forma substantialis ignis, nunquam generaretur ignis. Videmus autem contrarium, quod si fiat excessus in calore, ex nimio tali excessu generetur ignis: ideoque non solum generatur ignis ab igne, sed etiam à motu; Calor enim est organum ignis in quocumque sit, sive in igne, sive non: sicut in semine, licet non sit anima; virtus tamen existens in ipso est organum animæ; ita quod illa virtus in virtute animæ animet; ita calor etiam ut existens in igne, est organum ignis: & ideo in virtute ignis inducit formam substantialem ignis. Nulla ergo actio immediate egreditur à forma substantiali: propterea quod forma substantialis non habeat rationem potentiæ,

Quomodo
distingua-
tur poten-
tia mate-
riæ ab
aliis?

QVOD AVTEM objiciebatur de materia, quod sit sua potentia: Dici debet, quod potentia materiæ sit potentia materiæ ad esse: & ideo talis potentia sit ipsa substantia, cum in substantia recipiatur esse, non est mirum. Sed hic non loquimur de tali potentia, quæ sit respectu esse, sed quæ respectu agere, quæ realiter differt à substantia: quia, ut patuit, agere, de quo hic loquimur, non recipitur immediate in ipsa substantia, sed recipitur in ea mediante potentiâ.

Hoc autem quod addebatur de *Augustino*, qui hic videtur velle, quod anima sit sua potentia: Dici debet, quod anima sit primum sentiens, secundum quod vult *Philosophus in 2. de Anima*.

Quomodo
anima sit
sue poten-
tiæ? &
quo modo
concurrat
ad suos
actus?

Actus ergo sentiendi egreditur principaliter à substantia animæ, sed immediate egreditur à potentia. Et sicut anima est primum faciens, sic est primum sentiens, sicut etiam, est primum intelligens. Si ergo largè volumus loqui de potentia, ut intelligamus per potentiam id, à quo principaliter egreditur actus; sic anima est suæ potentiæ: quia est radicale principium omnium suorum actuum; est enim primum sentiens, primum intelligens, primum volens, & sic de omnibus aliis: sed si loquamur de potentia, prout dicit illud, quod immediate se habet ad ipsam actionem, sic anima non est suæ potentiæ, ut per ra-

tiones diffusius est probatum.

ADVERTENDVM tamen, quod cum diximus, quod anima sit primum sentiens, & primum intelligens, non sit intelligendum, quod anima sit illud, cui primò attribuatur tales actus: sed sit illud, quod est prima & principalis ratio talium actuum; nam anima non intelligit, sed homo per animam: ratio tamen prima & principalis, per quam homo intelligit, est anima &c.

Non intel-
ligit, sed
homo.

DISPUTATIO

TERTIA.

De anima vegetativa & sensitiva.



OSTEA quærebatur de anima specialiter: & circa hoc quærebatur tripliciter: quia quærebatur de anima vegetativa, sensitiva, & intellectiva. Circa

animam vegetativam quærebatur, quantum ad potentias ejus; Vtrum nutritiva, augmentativa & generativa essent potentiæ realiter differentes? Circa animam sensitivam quærebatur; Vtrum esset ponere sensum agentem? Circa autem animam intellectivam quærebantur plura, quæ postea explicabimus suo loco.

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI XII.

Vtrum potentia nutritiva, augmentativa, & generativa sint realiter distinctæ?

Hanc questionem dissolvere possumus ex iis quæ habet Arimin. in 2. dist. 16. q. 3. habet eam D. Th. 1. p. q. 78. a. 2. & q. 79. a. 7. & l. 2. contra gent. cap. 89. Scot. in 2. d. 16. q. vn. & in 4. d. 44. cum Discip. Bon. in 2. d. 24. a. 2. q. 1. Durand. in d. 3. q. 2. Occam in 2. d. 16. q. 24. Gabr. q. 1. cum Nominalibus. Capr. 1. dist. 3. q. 3. Hervus quodl. 1. q. 9. Conimbr. l. 2. de an. c. 4. q. un.

Ægidius verò hic propositum difficultatis fundamentum dissolvit, & assignat singulis potentiis proprios actus, & actuum diversos terminos, & diversa principia: unde

unde resolvit illas potentias inter se realiter distinguui.



AD PRIMVM autem sic procedebatur. Ostendebatur quidem, quod nutritiva, augmentativa, & generativa non essent tres potentiae realiter differentes: quia alimentum nutrit in eo, quod quid; auget autem in eo, quod quantum: sed nunquam separatur quid à quanto. Et cum illa potentia, quæ convertit quid, convertat & quantum, non erit alia potentia nutritiva & augmentativa. Sic etiam probare possumus, quod generativa non sit alia potentia nutritiva: quia semen est superfluum alimenti: sed illa eadem potentia ad retia, quæ convertit tantum, quod sufficiat staurationem, poterit convertere plus, quam requirat restauratio: & ut convertit tantum, faciet ad nutritionem, ut convertit plus, & ut convertit aliquid, quod superfluit, faciet ad generationem. Augmentativa ergo & generativa non sunt aliæ potentiae à nutritiva.

IN CONTRARIVM EST, quia quid, quantum, & superfluum videntur differre realiter: sed nutritiva respicit quid, augmentativa quantum, generativa superfluum: ergo realiter differunt: quia videntur habere actus realiter differentes.

RESOLVTIO.

Cum diversa sint munia dictarum potentiarum, quod specialiter adverti potest in generativa respectu aliarum, hinc omnino dicendum est, illas potentias realiter inter se distinguui.

Proponitur
modus dif-
ficultatis
respectu
nutritivæ &
augmenta-
tivæ.

RESPONDEO Dicendum, quod difficulas huiusmodi quæstionis in hoc sit, quod illud, circa quod versantur nutritiva, augmentativa, & generativa, non videantur differre, nisi secundum magis & minus: ut si de alimento fiat tanta conversio, ut sufficiat ad staurationem, hoc pertinebit ad nutritivam: si verò fiat tanta conversio, quod non solum sufficiat ad staurationem deperdiri, sed etiam ad augmentandum nutritum, hoc, ut videtur, pertinebit ad augmentativam. Si verò

adhuc fiat major conversio, ita quod non solum restauret & augmentet, sed etiam, quod sit ibi superfluum alimentum, hoc, ut dicitur, pertinebit ad generativam.

Nutrire ergo generare, & augmentare non videntur differre, nisi secundum maiorem & minorem conversionem: quod si sic esset, omnes istæ tres potentiae non essent nisi una potentia: quia potentiae distinguuntur per actus, & actus per objecta: cum ergo magis & minus non diversificent speciẽ, non erunt istæ tres potentiae nisi una potentia.

PROPTER QVOD sciendum, quod non sufficiat convertere quantum, ad hoc, ut fiat augmentum. Sed oporteat extendere membra, & augere quantitatem rei augmentatæ. Convertere ergo, quantum ad restaurandum deperditum, spectat ad nutritivam: sed convertere quantum, & per illud quantum membra extendere pertinet ad augmentativam: & quia formaliter differunt deperditum restaurare, & membra extendere; idè augmentativa formaliter differt, & est alia potentia realiter à nutritiva. Propter quod, secundum *Philosophum in 1. de generatione*, Nutriuntur quidem animalia, quousque salvantur: augmentantur autem non semper. Cum ergo nunquam separatur quid à quanto: & cum nunquam convertatur quid, nisi convertatur & quantum; si quantum quocumque modo sumptum pertineret ad augmentativam, semper augmentarentur animalia, quamdiu viverent; vel semper possent augmentari, quod falsum est: quia determinatum est tempus augmenti: nec sufficit convertere quantum ad augmentum; sed oportet membra extendere: & quia ut diximus, non est idem restaurare, & extendere; non est eadem potentia hæc & illa.

Et dissolvitur: quia alia conversio requiritur ad augmentationem, alia ad nutritionem.

Explicatur circa hoc Philosophus.

Quod si tamen vellemus inniti verbis *Philosophi*, Qui in de generatione in capitulo de augmento videtur nutrimentum attribueri ipsi quid, sive ipsi substantiæ: augmentum autem ipsi quantitati, dicemus quod ex hoc nutriatur animatum, quia convertitur alimentum in substantiam nutriti: quia talis conversio respicit ipsum quid; ideoq; dicemus quod cibus nutriat in eo quod quid:

Augmentum autem non fiat, nisi quia sit præexistenti quantitati additamentum.

Dupliciter ergo distinguemus augmentativam à nutritiva: vel quia una restaurat, alia extendit: vel quia una principalius respicit quid; alia verò principalius quantum. Nam etsi utraq; respiciat quid & quantum; nutritiva tamen principalius respicit quid, quia convertit alimentum in substantiam aliti: augmentativa autem principalius respicit quantum; quia extendit membra, & extensio quantitati competit.

VISO, quomodo differat augmentativa à nutritiva? Restat videre, quomodo differat generativa a prædictis duabus? Propter quod sciendum, quod, posito, quod nutritiva tantum de alimento converteret, ut esset ibi superfluum alimenti, non propter hoc esset ibi semen: non enim quodlibet superfluum alimenti est semen: sed tale superfluum alimenti est semen, quod in se habet virtutem quandam, per quam possit simile produci. Convertere ergo plus & minus poterit pertinere ad nutritivam: sed dare virtutem illam, per quam fiat illa productio similis, pertinebit ad generativam.

DIFFERUNT ergo generativa ab augmentativa, & nutritiva. Possumus autem, si volumus, assignare duplicem differentiam inter hanc & illas.

Prima differentia est, quia nutritio, & augmentatio respiciunt id in quo sunt; animal enim nutrit seipsum, & augmentat seipsum, ita quod, sicut in motu locali movet seipsum, vel movetur à se, quia est divisibile in talia duo quorum unum est per se movens, & aliud per se motum; corpus enim est per se motum; anima verò per potentiam motivam est per se movens: Sic & in augmentatione in eodem animali est assignare aliquid per se auctum, & aliquid per se augens; & in nutritione similiter. Sed potentia generativa non respicit illud, in quo est: sed semper respicit aliud; quia, ut dicitur in 2. *De anima*, nihil seipsum generat, sed salvat; potest enim animal salvare seipsum, & conservare seipsum per nutritionem. Sed non poterit generare seipsum; quia nulla omnino res est, quæ seipsam generat, sicut dicitur 1. *de Trinitate* cap. 1.

Est ergo una differentia inter successivam, & nutritivam, & augmentativam; quod nutritiva & augmentativa respiciant illud, in quo sunt; quia potentia nutritiva & augmentativa nutritur & augetur habens potentiam: sed generativa semper respicit aliud; generativa enim non facit ad generationem huiusmodi, in quo est, sed ad generationem alterius.

Secunda differentia est; quia generare non est nisi perfectorum: augmentatio autem, & nutritio possunt esse imperfectorum: animal autem, dum imperfectum est, nutritur & augmentatur: sed non potest sibi ipsi generare simile, nisi cum est perfectum.

AD ARGUMENTVM autem in contrarium dicendum, quod licet eadem potentia nutritiva possit plus & minus convertere; non tamen sit idem nutritiva, augmentativa, vel generativa: quia non sufficit plus & plus convertere ad augmentativam: sed oportet quod per illud plus conversum extendatur membrum, quod non potest facere nutritiva. Restaurare ergo deperditum, & convertere alimentum in substantiam aliti pertinet ad nutritivam: sed extendere membra, & extendere ossa, ad augmentativam. Sic etiam non sufficit quodcumque superfluum alimenti ad generativam: sed oportet in illo superfluo dare virtutem, per quam possit fieri productio similis in specie: quam virtutem dare non spectat ad nutritivam, sed ad generativam. Differunt ergo nutritiva & augmentativa inter se; & differt generativa ab utraque.

QVÆSTIO II.

QVODLIBETI XII.

Utrum detur sensus, & appetitus agens?

Hanc questionem tractat Ægidius lib. de cognitione Angelorum quest. 1. Paul. Ven. in summa de anima cap. 10. Ariminenis in 1. dist. 3. art. 2. Divus Thomas 1. part. quest. 79. art. 3. cum Discipulis. Scot. 3. dist. 14. quest. 4. Durand. apud Capreolum in 2. dist. 3. quest. 2. art. 3. Cajetanus lib. 2. de anima cap. 11. & 1. part. q. 47. art. 2. Niphus in libello de sensu agente. Conimb. lib. 2. de anima cap. 6. quest. 1. videatur Ægidius supra quodlib. 2. quest. 22. & Auctores ibidem citati. Et ill. de intellectu tam possibili quam agente.

Hic verò Ægidius posita fundamenta diffi-

Dupliciter
distingui-
tur nutriti-
va ab aug-
mentativa.

Et similiter
hic à gene-
rativa?

Quale su-
perfluum
sit semen?

1. Differen-
tia.


Quod illæ
respiciant
subiectum
suum.

Hæc aliud
distinctum.

2. Quod
hæc sit per-
fectorum,
non illæ.

difficultatis solvit eo ordine, quem in textu subjungit, & respondet juxta solutionem infra ponendam.

do modo possit dici dari, sensum agentem, non autem tertio.



SECUNDO quærebatur de anima sensitiva: & erat quæstio de sensu agente, & extendebatur hæc quæstio ad appetitum ipsum. Quærebatur enim de sensu, Vtrum esset dare sensum agentem? Et idem quærebatur etiam de appetitu: Vtrum esset dare appetitum agentem.

ET ARGVEBATVR quod sic: quia secundum *Philosophum in 3. de Anima*, in omni natura est dare aliquid, quod est omnia facere, & quod est omnia fieri: si est ergo hujusmodi in omni natura, erit etiam in natura sensitiva: ergo in sensitiva non solum est dare sensum qui est omnia fieri, qui potest dici sensus possibilis: sed etiam est dare sensum, qui est omnia facere, qui potest dici sensus agens. Et quia hoc secundum *Philosophum*, est in omni natura; erunt hæc etiam in appetitu: erit ergo dare non solum appetitum possibilem: sed etiam agentem.

Præterea de sensu planè videtur hoc dicere *Comment. 2. de Anima*. Vult enim quod sensibilia non sufficiant ad movendum sensum: ergo propter sensitivam oportet dare aliquod agens; hoc autem erit sensus agens. Idem etiam *Comment.* ibi vult quod Aristoteles tacuerit hoc in sensu; quia clariùs apparet, quam in intellectu: ergo si sit dare sensum agentem, pari ratione erit dare & appetitum.

IN CONTRARIUM EST, quod, si esset dare appetitum agentem, quia agens semper esset conjunctum suo passivo, semper appeteremus.

RESOLVTIO.

Cum sensus possit dici triplici de causa agens, vel quia facit aliquid ad actionem, vel quia ad eum sequitur aliqua actio, vel quia dat sensibilibus virtutem agendi, sive quod agant: Dicendum est, quod primo & secun-

RESPONDEO Dicendum, quod difficultatem in hac quæstione faciant verba *Commenti in 2. de Anima*: & verba *Augustini in 6. Musæ.*

Duplex movetur difficultas.

Commentator enim videtur velle ponere sensum agentem. Nam causa, quare ponimus intellectum agentem, est, quia fantasmata sunt intelligibilia in potentia: ideoque non possunt movere intellectum possibilem nisi in virtute alicujus agentis: ideo ponimus intellectum agentem esse illud, in cuius virtute fantasmata movent intellectum possibilem. Sed sicut fantasmata sunt intelligibilia in potentia, & non in actu: ita sensibilia, ut dicit *Commentator*, sunt intentiones in potentia, & non in actu. Si ergo hoc, quod est in potentia, non moveatur nisi in virtute alterius. Sensibilia, quæ sunt intentiones in potentia, non facient in sensu intentiones in actu, nisi in virtute alicujus agentis: oportet ergo dare sensum agentem, in cuius virtute intentio in potentia faciat intentionem in actu, sicut damus intellectum agentem, in cuius virtute fantasma, quod est intelligibile in potentia, intellectum possibilem reducat ad actum.

Prima per comparationem sensus ad intellectum.

Nec potest dici, ut *Commentator* ait, quod hoc sit ratione subjecti, vel materiæ: ut ideo in sensu recipiatur intentio in actu, quia sensus est materia spiritualis; ideoque spiritualiter recipiatur: & ut dicatur, quod diversimodè sit forma sensibilis in objecto sensibili, & in sensu, propter diversitatem materiæ: ut ex eo, quod dicatur, quod in objecto sensibile habet esse materiale, ideo forma sensibilis recipiatur materialiter, & sit ibi intentio in potentia. In sensu verò, qui est materia spiritualis, forma sensibilis recipiatur spiritualiter; & sit intentio in actu. Si ergo hoc reducamus ad diversitatem materiæ: tunc, ut *Commentator* dicit, forma erit propter materiam: ut ideo ista forma habeat esse nobile, quia est in materia nobili.

Sed è contrario videtur esse dicendum, quod materia sit propter formam, non è converso: & ideo, ut *Commentator* dicit, melius est hoc attribui alicui agenti, dicendo, quod sensibilia quæ in

objecto sunt intentiones in potentia, faciunt in sensu intentionem in actu, non ratione diversificationis materiæ tantum: sed ratione alicujus agentis, in cujus virtute agunt. Et, ut innuit *dict.*

Commenti, dicere oporteret, quod si sufficeret diversitas materiæ ad hoc, quod potentia tale faceret actu tale, non indigeremus ponere intellectum agentem: diceremus enim, quod fantasma esset intelligibile in potentia: illud tamen, quod causatur à fantasmate in intellectu possibili, esset actus intellectus, & hoc esset ex diversitate materiæ; nam quia intellectus possibilis est materia spiritualis respectu fantasmi, idè recipit spiritualiori modo: idè licet fantasma sit in fantasia intelligibile in potentia; similitudo tamen fantasmati recepta in intellectu possibili propter nobilitatem materiæ recipientis, est actu in actu intelligibilium.

Si ergò diversitas materiæ sufficeret ad hoc, quod potentia tale causaret actu tale, non indigeremus ponere intellectum agentem: & quia hoc est falsum, idè oportet nos intellectum agentem ponere: ergò oportebit ponere sensum agentem; intentio enim in potentia, cujusmodi est sensibile, non causabit intentionem in actu, nisi in virtute sensus agentis; sicut nec fantasmata, quæ sunt intelligibilia in potentia, possunt actuare in intellectu possibilem, nisi in virtute intellectus agentis.

Omnis melodia est numerus sonorus.

SECUNDA DIFFICULTAS circa hanc materiam videntur facere verba *Augustini in 6. Musica*, qui videtur ponere sex genera sonorum: unum in corporibus, & quinque in anima. Nam si fiant soni in materia extra; ut puta in corpore, & illi soni percipiuntur à sensu, oportet quod similitudo illorum sonorum sit in ipso sensu. Si ergo fiat melodia aliqua in corpore exteriori; cum omnis melodia sit numerus sonorosus, quia musica est de numero applicato ad sonum: hujusmodi melodia, sive hujusmodi numerus sonorosus non perciperetur à sensu, nisi in ipso sensu esset aliquis numerus. Ergò si accipiamus numerum pro proportionem, semper oportet quod sit aliqua proportio in sensu, per quam percipiatur ipsum sensibile: & quia non solum sit sensibile in sensu

præsente sensibili; sed etiam recordamur absentium sensibilibus, præter proportionem in sensu, oportet dare proportionem in materia.

Uterius autem, quia delectamur per appetitum in talibus, oportet hoc extendere ad ipsum appetitum: adhuc autem, quia judicamus de omnibus istis, oportet ad ipsum judicium hoc adaptare: adhuc etiam, quia anima non solum compatitur patiente corpore, sed etiam movet ipsum corpus; oportet & in hoc quendam numerum, & quendam proportionem esse motus.

ERGÒ aliquid potest competere animæ quadrupliciter; vel ex eo, quod per sensum aliquid patitur corpus, vel ex eo, quod recordetur per memoriam passionis factæ in sensu, vel ex eo, quod per appetitum lætetur, vel contristetur circa talia, vel ex eo, quod judicet de omnibus talibus. Sed quia competit animæ aliquis motus, non solum ex passione facta in corpore: sed quia ipsa movet corpus, in ipso corpore exteriori sunt numeri corporales & sonantes: ita quod unum genus numerorum sit in corpore: in anima verò sint quinque genera numerorum, videlicet, occurrentes, recordabiles, sensibiles, judiciales, & progressores: videtur autem his omnibus modis se movere anima. Movet enim se per numeros occurrentes, prout fit passio in corpore, id est, in sensu, & prout sentit passiones in corpore factas; ipsum enim sentire hujusmodi passiones est quasi quoddam se movere. Movet se secundo per numeros recordabiles, prout per memoriam recordatur de talibus passionibus, etiam absentibus. Movet se tertio per numeros sensibiles, prout per appetitum lætatur, vel contristatur circa hujusmodi passiones factas in sensu, vel circa memoriam talium passionum, vel circa aliqua alia contingentia circa ipsam. Movet se quarto per numeros judiciales, judicando de omnibus istis. Movet se quinto per numeros progressores, non solum sentiendo, vel memoriam habendo, vel se delectando, vel judicando de passionibus factis in corpore, vel in sensu: sed etiam movet se agendo, & movendo corpus, quod fit per numeros progressores. Si ergò sic anima moveat se ad ea, quæ

Et quomodo se habeat ad sensum appetitum, intellectum &c.

Quadruplex actio competit animæ, & unde?

Iuxta diversitatem numerorum, sive proportionum juxta quæ se movet.

quæ fiunt in sensu, videtur quod oporteat dare sensum agentem, & quod in anima sit sensus agens, propter quem competat ei sic se movere.

NOTATIS difficultatibus circa hanc materiam, volumus has difficultates solvere : hoc ergò ordine procedemus: Primò declarabimus, *Quomodo veritatem habeant verba commenti?* Secundò ostendemus, *Quod, quantumcumque illa verba vera sint, non oporteat dare sensum agentem.* Tertiò ostendemus, *Quod ad salvandum dictum Augustini, non oporteat sensum agentem ponere.*

Necessarium est aliquid agens, in cuius virtute sensibilia moveant sensum.

Propter primum Sciendum, quod videatur omninò esse necessarium ponere aliquid agens, in cuius virtute sensibilia, quæ sunt intentiones in potentia, possint facere intentionem in actu. Dicemus autem universum ita connexum esse, quod ista sensibilia & corporalia aliquid participant de ipsis spiritualibus. Et in hoc connexionem quandam habeant ad ipsa spiritualia. Nam quod ista sensibilia possint immutare sensum, vel medium spiritualiter, sive intentionaliter, in hoc aliquid participant de ipsis spiritualibus: diximus enim, quod hoc sit commune omni sensui, quod sit susceptivus specierum sine materia.

In quo aliquid participant de ente spirituali?

Ipsa ergò intentio facta in sensu dicitur esse species sine materia; non quod non habeat aliquid de materialitate; cum habeat conditiones materiæ in se, & sit hîc & nunc: sed dicitur esse species sine materia, quia non habet tantum de materialitate forma intentionalis, sicut realis: quod patet, quia ibi non contrariantur ad invicem intentiones sicut reales formæ; in eodem enim puncto medii potest esse intentio albi, & intentio nigri. Intentiones ergò, sive intentionales formæ, aliquid participant de materialitate, ex eo quod sint hîc & nunc, quamquam contrarietate careant.

Et in quo de materiali?

DICEMVS ergò, quod forma sensibilis dupliciter se multiplicet materialiter & immaterialiter: materialiter quidem, prout agit in contrarium, immaterialiter, prout agit in sensum. Sed ipsum agere materialiter, & corporaliter, & ipsum alterare materiam non competit istis sensibilibus, nisi in virtute superioris agentis; ut in virtute supercælestis

corporis, quod est primum alterans, non alteratum. Si ergò calidum, quod est calidum in actu, non possit calefacere, nisi in virtute superioris agentis, ut in virtute cæli, cum ipsum calidum non sit intentio in actu, sed in potentia, multò minus poterit facere intentionem in actu, nisi in virtute alicujus superioris agentis. Calidum ergò dupliciter immutat, realiter & intèntionaliter, vel materialiter & immaterialiter, & ut immutat realiter est tale in actu; ut immutat intentionaliter vel immaterialiter, est tale in potentia. Sed ut est in actu, non agit, nisi in virtute superioris agentis multò magis, ut est in potentia, non agit, in virtute superioris agentis: idèd fortè dixit *Commentator*, *Quod ista sensibilia agant corporaliter & spiritualiter*: corporaliter quidem ut inducunt formam realem & habentem contrarium: spiritualiter vero, ut inducunt formam intentionalem contrarietate carentem. Idèd sicut dupliciter agit, sic dupliciter reducemus eam in agens superius.

DICET FORTE ergo *Commentator*, quod agant corporaliter in virtute corporis, & agant spiritualiter in virtute spiritus. Per motum enim cæli non solum derivatur, & pervenit influentia cæli usque huc: sed etiam per huiusmodi motum pervenit usque ad hæc sensibilia virtus motoris ejus, ita quod ista sensibilia aliquid participant in virtute cæli, quod est corpus: & aliquid in virtute motoris ejus, quod est anima ipsius, & quod est spiritus. Propter quod diceret *Commentator*, quod hæc sensibilia immutent corporaliter in virtute corporis; ut in virtute cæli: immutent autem spiritualiter in virtute spiritus, sive in virtute animæ cæli, vel in virtute motoris ejus. Non est ergò solum ratione materiæ, quod intentio in potentia in re sensibili faciat intentionem in actu in sensu: sed hoc est etiam ratione agentis; quia hoc fit in virtute alicujus superioris agentis. Sic ergò verificantur verba commenti.

Sed propter hoc non oportet ponere sensum agentem quod duplici viâ declarare possumus. Prima via fumitur ex differentia actionis sensibilis in sensu, & fantasmatismis in intellectu.

PRIMA VIA sic patet: quamvis

X 3

verum

Dupliciter se multiplicat,

Materialiter, immaterialiter, sive intentionaliter.

Veroque modo in superioris agentis;

Videlicet cæli quod est primum alterans, non alteratum;

Vel ejus motoris.

Hoc autem non argueret, sensum agentem probatur duobus modis,

1. Ex differentia sensus ab intellectu.

verum sit, quod in omni natura, quando damus aliquid, quod est omnia fieri, oporteat dare aliquid, quod est omnia facere; ut si demus aliquod motum, oportet quod demus aliquod movens, & si demus aliquod passum, oportet quod demus aliquod agens: tamen hæc duo, quorum unum se habet ut actus, aliud ut potentia, quorum unum est agens, & aliud patiens, unum movens, aliud motum, unum, quod est omnia facere, aliud, quod est omnia fieri, aliquando congregantur in uno, & sunt partes, vel virtutes unius; aliquando non congregantur in uno, quod verba *Philosophi* satis insinuant: nam cum dicit, *Quod in omni natura oportet dare aliquid, quod est omnia facere, & aliquid quod est omnia fieri*. Postea subdit, *Quod hæc ars ad materiam pertineat*: Et addit, *Quod oportet hæc in anima esse*.

Vnde & explicatur dictum *Phil. Organ. do datur aliquid quod est omnia fieri* etc.

Omnia fieri & omnia agere subinde competunt eadem subiecto;

Vt animæ ob ejus nobilitatem:

non gravi aut levi,

Ars ergo est illud, quod est omnia artificialia facere: materia verò, quod est omnia artificialia fieri: sed ars, & materia non congregantur in uno; imò ars habet esse valde separatum à materia. Sed licet ars & materia non congregentur in uno; intellectus tamen agens & possibilis simul sunt in uno: ideò signanter, dicit *Philosophus*, *Quod oportet hæc differentias esse in anima*: constat autem quod anima sit vnum aliquid. In una ergo re sunt hæc duæ differentiæ; intellectus agens, & possibilis; non enim distinguimus materiam, quæ est omnia facere, & materiam, quæ est omnia fieri: nec damus materiam agentem: sed damus aliquid separatum à materia, ut artem, quæ est omnia facere. Et si quaeratur causa, dicemus, quod hoc sit ex nobilitate animæ, & ignobilitate materiæ: ex nobilitate enim animæ est, quod si habeat suum fieri, quod habeat suum facere, & si habeat in se intellectum possibilem, quod habeat in se intellectum agentem: sicut enim videmus in motu corporali, quod, cum animal movetur ex se, ipsi corpori, quod est motum, jungatur anima, quod est movens: ita, quod ex anima, quæ est movens, & corpore, quod est motum, fiat aliquid unum.

In motu autem gravium & levium, ex motora & moto non fit aliquid unum: nec movetur gravia ex se, sed à gravan-

te: intellectus autem agens & possibilis sunt aliquid in uno, & sunt in eodem subiecto, ut in essentia animæ.

Ars autem & materia non sic se habent: sed si assignaremus motorem materiæ ipsum organum artis; ut dicemus lignum moveri à ferra vel securi; quia organum artis non est movens, nisi in potentia, oporteat dare aliquid agens, in cuius virtute organum moveat.

Si quis ergo sic argueret, organum non potest movere materiam secundum se: ergo oportet dare aliquam virtutem activam in materia, in qua organum moveat; plana esset solutio: dicemus enim in materia non esse potentiam activam: nec esse dare materiam agentem, sed tantum aliquid agens separatum; ut puta artem, in cuius virtute organum artis moveat materiam artificialium ad formam artis. Sic & in proposito, in sensu non sit virtus activa, in qua moveatur sensus, nec sensus moveatur ab ipso intelligibili: imperfectum tamen sensibile fit intentio in potentia. Et in hoc sensibile non comparatur ad sensum, sicut ars ad materiam: sed magis sicut organum artis ad materiam. Oportet ergo dare aliquid superius agens, in cuius virtute sensibile moveatur sensum: istud autem agens non dabimus in ipso sensibili; sicut nec agens, in cuius virtute organum agat in materiam, damus in ipsa materia. Damus equidem aliquid agens in sensu: & damus duplex agens, unum quasi organum: quod quia non sufficit ad movendum, ut ista sensibilia, quæ sunt intentiones in potentia, in actu, superaddimus aliud quasi principale, in cuius virtute hæc sensibilia movent intentionaliter: non tamen damus sensum agentem; quia illud agens principale, quicquid sit, sive sit motor cæli, sive aliquid aliud, non debet dici sensus agens: quia nec est sensus, nec in sensu, nec in eodem subiecto cum sensu, sed est virtus aliqua separata.

NON EST ERGO simile de intellectu & de sensu. Nam datò, quod intellectus agens non esset differentia animæ, nec potentia animæ, sed aliquid aliud separatum (sicut multi posuerunt intelligentiā aliquam, vel Deum ipsum esse) dato inquam, quod sic esset, illud separa-

Arri aut materiæ.

Sensibili aut sensui.

In quæ agit illud in virtute agentis superioris,

Quod tamen non potest dici sensus agens.

Competit tamen intellectui,

Et competit etiam separato.

Et compe-
teret etiam
separato.

separatum, & esset agens, & esset intellectus; ipse enim virtutes separatæ possunt dici intellectus: nihilominus esset dare intellectum agentem: sed non est sic ex parte sensus; ponimus enim aliquod agens, in cuius virtute hæc sensibilia movent sensum, sed illud agens est separatum: & quia est separatum, non meretur dici sensus; quia sensus non dicit virtutem separatam, sed virtutem in materia: ergo est differentia intellectus sensu; quia intellectus habet motorem sibi conjunctum; sensus autem non; nihil est enim in sensu, vel in anima sensitiva, in cuius virtute sensibilia agant in sensum, sicut est aliquid in anima intellectiva, in cuius virtute fantasma agit in intellectum.

Rursus si virtus illa, in cuius virtute fantasma agit in intellectum, non esset in ipsa anima, sed esset separata; adhuc possemus aliquo modo salvare, quod esset dare intellectum agentem: quia illa virtus separata & esset agens, & esset intellectus: sed non est sic ex parte sensus; quia illud separatum, in cuius virtute sensibilia movent sensum, licet possit dici agens; non potest tamen dici sensus; quia non est virtus materialis, & organica, cuiusmodi est sensus.

Secundus
modus ex
differentia
actionis
sensibilium
in sensum,
& fantas-
matum in
intellectu.

SECUNDA VIA ad hoc idem, quod sit dare intellectum agentem, & non sensum, sumitur ex differentia actionis sensibilium in sensum, & fantasmatismatis in intellectum: nam fantasma immediatè agit in intellectum; ita quod immediatè in intellectu ab intelligibili in potentia efficiatur species intelligibilis, quæ potest dici intellectus in actu: sed immediatè à sensibili non efficitur species in sensu, sed in medio. Illud ergo, quod sit in sensu, nunquam fit ab intentione in potentia: sed ab intentione in actu: magis ergo indigemus agente propter ipsum intellectum, quam propter ipsum sensum: cum huiusmodi species intelligibilis in intellectu fiat immediatè ab intelligibili in potentia: sed intentio, quæ fit in sensu, nunquam fit immediatè ab intentione in potentia, ut à forma sensibili: sed ab intentione in actu, ut ab intentione, quæ est in medio.

Illa enim
mediatè
tantum in
sensum,
hæc imme-
diatè agit
in intelle-
ctum.

Primus
modus ma-
gis placet,
& quare?

PRIMA tamen via melior est: dicemus enim, quod, cum sensibilia sint in-

tentiones in potentia, oporteat dare ali- quod agens, in cuius virtute ab inten- tione illa in potentia; ut à re sensibili, fiat intentio in actu: sed illud agens sit aliquid separatum, ita quod nec sit sen- sus, nec agat in sensum: propter quod non sit dare sensum agentem. Et hanc intentionem satis videntur innuere verba *Commentatoris in præsignato loco*: ubi ait, *Quod diversitas forme non est ex diversitate materia; quod cum ita sit, dicit, necesse esse ponere motorem extrinsecum.*

In quo dif-
ferant? in
quo conve-
niant mo-
tus utro-
rumque?

Simile est, ergo de sensibilibus respec- tu sensus, & de fantasmatibus respectu intellectus: & est etiam dissimile. Simile quidem, quia sicut non sufficiunt fantas- mata ad movendum intellectum possibi- le, sed oportet dare agens aliud ab utrif- que distinctum: Ita non sufficiunt sensibi- lia ad movendum sensum: sed oportet dare agens extrinsecum aliud à sensibilibus, & à sensu. Sed cum hoc quod sit simile, est etiam dissimile: quia illud agens, quod damus ex parte intellectus, & est in eo- dem subiecto cum intellectu, & vocatur intellectus: idè dictum est intellectus agens: sed illud, quod damus in sensi- bilibus, ex parte sensibiliū est extrin- secum: nec est in sensu, nec est sensus: ideoque non est vocatus sensus agens.

POSTQVAM patefecimus verba *Commenti*, volumus aliquid dicere ad difficultatem *Augustini*: non quod hic intendamus textum musicæ subtiliter exponere: sed sufficit difficultatem ef- fugere. Dicemus ergo, quod agens sen- sus possit dici aliquid tripliciter: vel quod aliquid faciat ad actionem, vel quod ad eum sequatur aliqua actio, vel quod det sensibilibus, quod agant.

Resp. ad
secundam
difficulta-
tem.

Tripliciter
dici potest
aliquid
sensus
agens:

Primo mo-
do datur,

Cum ergo quæritur, Vtrum sit dare sensum agentem? si vis appellare sen- sum agentem hoc, quod aliquo modo sit ratio actionis, ut hoc modo procedat quæstio tua: Vtrum sensus sit ali- quo modo ratio formalis suæ actionis sensibilis? &, Vtrum virtus visiva sit aliquo modo ratio visionis, quam cau- sat visibile in visu? plana est solutio, quod hoc modo sit dare sensum agen- tem. Sed sic non loquimur de sensu a- gente; *Ipsa enim visio*, ut dicit *Augu- stinus De Trinit. cap. 1. Gignitur ex vi- sibili & vidente*. nam ut dicitur, in 2. *De anima*, sanamur non solum sanitate, sed

sed etiam corpore; eo enim ipso, quod sanitas non faciat actum sanationis, nisi in corpore, ipsum corpus est aliquo modo ratio sanitatis. Ita illud, quod causat visibile, non est visio, nisi ut recipitur in visu, sive in virtute visiva; actio enim visibilis in medio, vel in aëre non dicitur visio: sed actio dicitur visibilis in visu. Visio ergo gignitur non solum ex visibili, sed etiam ex vidente; ipse enim sensus videns est aliquo modo ratio visionis.

Secundo
etiam,

SECUNDO MODO potest dici sensus agens non solum, quia est ratio actionis sensibilis: sed etiam, quia ex ratione rei sensibilis ipse fortitur aliquam actionem: & hoc modo est dare sensum agentem, quia ex actione, quam habet sensibile in sensu, ipse sensus fortitur aliquam actionem: quia iudicat de re sensibili; iudicare autem ad actionem pertinet, ut dicit *Commentator in 2. De anima*; sed non sic loquimur de sensu agente.

Non tertio,
juxta su-
pradicta.

TERTIO MODO potest sumi sensus agens ex eo, quod det aliquam virtutem ipsis sensibilibus, ut agant. & sic loquimur de sensu agente, si negemus sensum agentem: nullus est enim sensus, nec est aliqua potentia animæ, in cuius virtute sensibilia movent sensum: sicut est aliquis intellectus, & aliqua potentia animæ, in cuius virtute fantasmata movent intellectum possibilem; est enim aliquod agens, ut puta motor cæli, vel aliud aliquod agens, in cuius virtute formæ sensibiles immutant spiritaliter sive intentionaliter.

Illud tamen agens non est in sensu, tamquam aliquid dependens à sensu: nec est sensus, nec aliqua potentia animæ.

Quomodo
& per
quos quasi
numeros
se moveat
anima?

Sunt au-
tem hi
quædam
proportio-
nes,

Anima ergo movet se ut sentiat per numeros occursores, movet se ut recordetur per numeros recordabiles, movet se ut iudicet per numeros iudicabiles, movet se ut delectetur per numeros sensibiles, movet se ut faciat gradi corpus per numeros progressores. Omnes isti motus possunt dici numeri, & fieri per numeros: quia omnes fiunt per quasdam proportionales. Proportio autem ad numerum pertinet; nam, ut dicitur in 10. *Geometrie*, Nulla quantitas est proportionabilis alteri, quæ non se

habeat ad eam sicut numerus ad numerum.

De numeris ergo recordabilibus, per quos anima movet se memorando: vel de numeris sensibilibus, secundum quos movet se tristando, vel delectando: vel de numeris progressivis, prout movet se faciendo gradationem, nihil ad præsentem quæstionem: sed de numeris occursores, & judicialibus, quia secundum illos videtur poni sensus agens, tractandum est.

DICEMVS ERGO, quod anima moveat se per numeros occursores, prout sentit passiones in sensu factas. Passio enim facta in sensu, ut puta visio, non solum est à visibili, ut dictum est: sed etiam à vidente; ita quod anima aliquo modo sit ratio ipsius visionis: quod si ita sit, anima habet in se aliquid unde sit talis ratio, vel proportio: illam autem rationem, vel proportionem possumus vocare quemdam numerum.

Et dum se
per nume-
rum occur-
sores.

Possimus etiā vocare ipsum numerum occursores; occurrit enim animæ per huiusmodi numerum, & per huiusmodi proportionem, ut sentiat ipsum sensibile; agit enim visibile in aerem, & agit in oculum: sed actio, quam facit in aëre, non dicitur visio: quia non habet aër in se virtutem, unde occurrat ipsi visibili, & unde possit sentire ipsum: anima autem hoc habens dicitur se movere per numeros occursores; anima enim hoc habens dicitur se movere; quia est aliquo modo ratio huiusmodi motionis: cum illa motio facta in eo non solum sit à sensibili, sed etiam sit ab ipsa.

Quare vo-
cetur nu-
merus, &
occursores.

DICITVR AVTEM huiusmodi motio fieri per numerum: quia ipse sensus proportionatur objecto, & per se ipsum fit quædam symphonia, ut innuit Philosophus in 2. *De anima*: Symphonia autem & melodia in quadam numerosâ proportionem consistit. Dicitur autem iste numerus occursores: quia per hunc occurrit anima, ut sentiat passionem factam in sensu: quam non sentit aër per passionem factam in se; quia caret tali virtute, & tali harmoniâ.

Quare æ-
non sentiat
per specie-
in se rece-
ptas?

Propter huiusmodi ergo numeros occursores dicemus quod sensus sit agens, quod det virtutem sensibilibus ut agant, secundum quod hic loquimur de sensu agente.

Agit etiam
anima per
numeros
judiciales:
& quomo-
dos

MOVET se etiam anima per nume-
ros judiciales; quia est in ea virtus
aliqua, per quam judicet de immutatio-
nibus factis circa ipsam: & per hoc est
in anima sensus agens, quia est in ea ali-
qua actio sequens immutationem sensi-
bilem; nam ipsum judicium est quæ-
dam actio animæ sequens immutatio-
nem factam circa ipsam.

SED, ut patuit, nos non loquimur
hoc modo de sensu agente, prout est
ratio actionis sensibilis, vel prout est ra-
tio sequens immutationem sensibilem:
sed loquimur de sensu agente, prout est
aliqua differentia animæ dans virtutem
ipsis sensibilibus, ut agant in sensum;
secundum quem modum, ut patuit, non
est ponere sensum agentem.

AD ARGUMENTVM autem in
contrarium dicendum: quod, cum di-
citur, in omni natura &c. intelligi de-
beat, quod in omni natura sit dare illas
differentias: tamen illud, quod est om-
nia facere, non semper sortiatur idem
nomen cum eo, quod est omnia fieri; ut
si materia passibilis sit in artificialibus
omnia fieri, non dicemus, quod mate-
ria agens sit omnia facere: sed dicemus,
quod sit dare aliquod agens, ut artem,
quæ est omnia facere. Sicut, etsi sensus
passibilis à sensibili sit omnia fieri, non
oportet tamen dare sensum, qui sit
omnia facere: quamvis sit dare aliquod
agens, ut puta motorem cæli, vel ali-
quod aliud agens, in cujus virtute hæc
sensibilia movent sensum.

QVOD VERO quærebatur de ap-
petitu: Vtrum esset dare appetitum a-
gentem? debet dici, quod bonum ap-
prehensum sit motivum voluntatis: si
autem non necessitet ipsam, hoc est,
quia voluntas respectu aliquorum vo-
libilium potest determinare seipsam.
Non oportet ergo dare aliquem alium
appetitum agentem; quia si apprehen-
sum bonum moveat voluntatem, quæ
se determinare possit, possumus salvare
omnes voluntatis motus, absque eo,
quod ponamus aliquem appetitum a-
gentem.

* * *

DISTRIBVTIO

QVÆSTIONVM.



OSTEA quærebatur
de anima intellectiva
specialiter: & quære-
batur de ea, quantum
ad potentias: poten-
tiæ autem ejus sunt,
intellectus & volun-
tas. Circa has duas potentias quæ-
rebantur plures quæstiones: quæreba-
tur specialiter de intellectu, quantum
ad speciem intelligibilem. Circa hoc
autem quærebatur dupliciter; primò
per comparisonem ad omnia objecta,
Vtrum intellectus intelligendo aliquid
indigeat specie intelligibili? Secundò
quærebatur de specie intelligibili per
comparisonem ad suppositum, videli-
cet ad Deum; Vtrum intellectus vi-
dens Deum per essentiam videat ipsum
per speciem?

DISPV TATIO

QVART A.

De iis quæ concernunt intellectum.

QVÆSTO I.

QVODLIBETI XIII.

*Vtrum intellectus intelligendo aliquid indi-
geat specie intelligibili?*

Hanc quæstionem tractat Ægidius II. de intellectu,
Arim. 1. d. 7. quæst. 3. art. 1. & d. 3. quæst. 1. a. 2. Arg.
4. d. 50. quæst. 1. art. 2. D. Thomas 1. p. quæst. 55. a. 5.
cum sequacibus. & l. 2. cont. gent. cap. 76. Scotus in 4.
dist. 45. Bacon. in 2. quæst. 2. prol. Godefred. quodlib.
9. quæst. 19. & quodlib. 13. quæst. 3. Durand. 2. dist. 3.
quæst. 6. Vid. Capreol. 1. dist. 35. quæst. 2. Conimbr.
1. 3. de anima c. 5. quæst. 3. & 4. & ibidem passim & alibi
Philosophos.

*Ægidius verò hic primò facit comparatio-
nem inter vim, quam habet visibile ad cau-
sandum visionem & fantasma ad causan-
dum intellectionem. Secundò concludit ex eo,
Y quod,*